


This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.


+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/





Sb 5.240

Harvard College Library


THE GIFT OF

STEPHEN SALISBURY,

OF WORCESTER, MASS.

(Class of 1817.)

21 May, 1898.



QUÆ DE PROVIDENTIA

BOETIUS

IN

CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ SCRIPSERIT.

QUÆ DE PROVIDENTIA

BOETIUS

IN

CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ SCRIPSERIT

Rennes.

Disquisitionem proponebat Facultati Litterarum Redonensi

VICTOR MARTIN,

PRESBYTER, LICENTIATUS.

« Undique omni ratione concluditur, mente consilioque divino omnia in hoc mundo ad salutem omnium conservationemque admirabiliter administrari. »

CICER., *de Nat. Deor*, II, 53.

NANNETIBUS,

EXCUDEBAT H. CHARPENTIER,

VIA DICTA *de la Fosse*, 32.

1865.

Sb 5.240

MAY 21 1896

Salisbury fund.

ORNATISSIMO AC REVERENDISSIMO

A. M. A. JAQUEMET,

EPISCOPO NANNETENSI,

GRATI ANIMI PIGNUS

D. D. D.

VICTOR MARTIN.

QUÆ DE PROVIDENTIA

BOETIUS

IN

CONSOLATIONE PHILOSOPHIÆ SCRIPSERIT.

PROŒMIUM.

Sciunt omnes nòn fuisse, sexto sæculo, inter Romanos vel dignitate et ingenio præstantissimos, ullum qui A. Manlium Severinum Bóetium fama vicerit. Qui vir clarissimis majoribus natus, atque ortus de illa gente Manlia, quam jamdudum et re opulentissima florentem, et maximis honoribus cumulatam populus Romanus omni veneratione prosequi solebat, is, inquam, egregia præditus natura, ita imbutus sanis disciplinis fuit, ita ab eruditis magistris edoctus ut honestissimas Græciæ artes penitus possederit, et optimas Græcorum philosophorum doctrinas omnino fecerit suas (1). Symmachi, amplissimi viri, filia in uxorem accepta, tum omnium civium, tum ipsorum etiam advenarum, ex quibus non paucos penuria laborantes facultatibus suis liberaliter sustentabat, gratiam et amorem sibi conciliavit (2). A Magno quoque Theodorico, jam

(1) Cassiodor., Epistol., lib. I, 45.
(2) Procop., Gothor. bell., lib. I, cap. 1.

regnum suum in Italia stabilius facere cupiente, fuit exceptus honorificentissime, imo et consulatu ornatus. At repente, summam omnium rerum consecutus prosperitatem, « libertatem, inquit, sperasse Romanam (1), » aut, ut verbis utamur clarissimis, gentem Gothorum ex Italia quomodo expelleret meditatum fuisse arguitur : statimque, quamvis absens, condemnatur (2), Ticinum exsul mittitur, in qua tandem urbe, anno quingentesimo vigesimo quinto labente, capite plectitur (3).

Exsilii quidem sui acerbitatem ut aliquantum leniret, Boetius de *Consolatione Philosophiæ* scripserat : cujus vero operis rationem omnem qui vult perspicere, necesse est ut in memoriam revocet qua de causa, quo in loco, quibus et in rerum angustiis fuerit ab auctore compositum. Boetio enim se exsulem esse et capitis reum consideranti, atque in animo, morte jam imminente, recogitanti quam subita sit illa, qua opprimitur, calamitas, quam horrenda, immo vero quam immerita, prorsus indignum videtur ista a benigno æquoque Deo permitti. Mox nimio suo dolore incensus, vehementissime de Numine supremo queritur, et denique, quasi vix credere possit ullam habere humanarum rerum, quas tam cæca fortuna miscet, procurationem Deum, eo adducitur ut divinam Providentiam, aut esse omnino neget, aut saltem valde dubiam faciat.

Quinque librorum, seu dialogorum quos Boetius de Consolatione Philosophiæ inscripsit, id est caput, ea est origo. Fingit Boetius sibi, quum, mœrore oppressus, tristitiam suam flebili carmine solari tentaret, subito visam adesse, quasi quoddam e cœlo demissum numen, *Philosophiam,* a qua gravissimis verbis erigitur reficiturque. Mox oritur de Providentia disputatio :

(1) Consolat. Philos., lib. 1, pros. 4 (Migne, Patrol., LXIII, col. 624)

(2) Ibid., col. 628.

(3) Cf. Dissertat. sur l'année de la mort de Boèce (Migne, Patrolog., LXIV, col. 1555 sq.)

Boetius quidem causas affert cur sibi non jam liqueat utrum supremus Rector existat necne; Philosophia autem omnià, quæ a Boetio adversus Providentiam proponuntur, argumenta confutat, Boetiumque ipsum invictis rationibus cogit saniorem de Deo sententiam suscipere.

Hos de Consolatione libros Boetius tum soluta oratione, tum versibus scripsit : atque eo majorem laudem consecutus est quod in carminibus suis non solum ita puro dicendi genere utitur ut optimos antiquæ Romæ poetas audire credas, non solum legentem sententiarum gravitate, verborum gratia, modorum varietate delectat, sed etiam philosophicas disciplinas poeticis numeris ornare feliciter audet, sicque mirum in modum res explicat obscuras et arduas et multum difficultatis habentes.

Quæ de Providentia Boetius in Consolatione Philosophiæ scripserit examinare, nobis est propositum. Opus nostrum in duas partes dividimus : quarum in una, quæ docuerit exponimus; in altera, quæ docuerit dijudicamus.

Quibus tandem absolutis, pauca addere operæ pretium esse visum est, exquirendi causa utrum, ex his, quæ in Consolatione Philosophiæ inveniuntur, jure possit concludi Boetium fuisse necne Christi cultorem.

PARS PRIMA.

QUÆ DE PROVIDENTIA BOETIUS DOCUIT, EXPONUNTUR.

Ad Providentiæ quæstionem aggressus, tria, in quibus majorem adversus Providentiam vim arbitratus est inesse, argumenta Boetius perpendit. Scilicet quærit primum, utrum miseriis hominum tollatur Providentia; deinde, utrum improborum prosperitates justitiam Providentiæ redarguant; postremo, utrum humana libertas sit Providentiæ contraria.

Singula singulis capitibus absolvemus.

CAPUT PRIMUM.

Utrum miseriis hominum tollatur Providentia.

Boetius postquam, ut supra indicavimus, se exsulem, et bonis spoliatum, et reum mortis lamentatus est, hanc Philosophiæ, quam inducit cum se colloquentem, primam causam affert cur non possit jam credere humanum genus a Deo curari, quod homines qui fortunam experiuntur tam cæcam, tam variam, tam lubricam, nimiis calamitatibus opprimi videantur quam ut Deum justum benignumque deceat.

Omnia quidem, inquit, quæ in rerum natura totoque mundo constant et moventur, quum certis fixisque legibus regantur continuo, et incredibili ordine administrentur, non possumus dubitare quin toti naturæ rerum provideatur a Numine sapientissimo; homines autem, quum sæpius experiantur fortunæ ludibria, et miserabiliter gaudii dolorisque subeant vicissitudinem, nonne evidenter apparet Deum quid agamus, quid faciamus, quid patiamur minime curare?

« O stelliferi conditor orbis,
Qui perpetuo nixus solio
Rapido cœlum turbine versas,
Legemque pati sidera cogis,
. . . .
Tua vis varium temperat annum
Ut, quas Boreæ spiritus aufert,
Revehat mitis Zephyrus frondes;
Quæque Arcturus semina vidit
Sirius altas urat segetes.
Nihil antiqua lege solutum
Linquit propriæ stationis opus.
Omnia certo fine gubernans,
Hominum solos respuis actus
Merito rector cohibere modo.
Nam cur tantas lubrica versat
Fortuna vices (1)? »

Igitur istius pravæ de Providentia opinionis refellendæ gratia, statim instituitur longa argumentatio; quam quidem, verbis quæ in libro de Consolatione inveniuntur diligentissime disquisitis, sic contrahendam esse judicamus :

Homines fortunæ injurias experiri, innumerisque miseriis vexari, nemo sane est qui non videat. Sed quum justa non

(1) Consolat. Philos., lib. I, metr. 5.

possit causa afferri cur tot injurias fortunæ, tot tantasque miserias homines patiantur, est omni jure concludendum non rebus humanis a Deo consuli, non esse ullam Providentiam.

Ad hæc, quid Philosophia?

Providentiam, inquit, qui impugnant ea ratione ducti quod si supremus Rector existeret, non tot tantisque miseriis opprimerentur homines, isti argumento prorsus falso nituntur, imo labuntur in duplicem errorem : quippe qui, tum quæ numero pauciora sunt, ea numero pene infinita esse dicant; tum quæ minimi, quin etiam nullius momenti sunt habenda, ea maximi ponderis esse arbitrentur.

§ I.

Priusquam quæ confutaturus est adversa fronte aggrediatur, pauca Boetius præponit, quibus concessis, jam apparet hominibus de Providentia propter vitæ miserias querentibus non esse plus æquo credendum. Hæc brevissime indicare non inutile videtur.

Qui indigne fert se fortunæ inconstantia vexari, et modo prosperis, modo adversis tentari, profecto considerare negligit rerum mutationes, quas lamentatur, non sibi tantum, sed omnibus hominibus, quin etiam naturæ universæ accidere.

Scimus enim (quod Philosophia venusto carmine canit), neque stellas die nocteque radiis fulgere, neque rosas omni tempore vividis coloribus depingi, neque maris fluctus semper quietos esse et placidos (1). Sed de his taceamus : satis est de hominibus loqui, quorum vitam, dummodo historiis faciamus fidem, fuisse sub varios incertosque casus subjectam, fateamur necesse est. Nam quid de Crœso, Lydiorum rege, narratur? quid de Persæo, cujus miseram sortem Paulus ipse Æmilius deploravit ? quid de tot regibus, quos regno expulsos et maxi-

(1) Consolat. Philos., lib. II, metr. 3.

mis calamitatibus obrutos lamentari solemus (1)? Nemo igitur propter fortunæ inconstantiam sibi desperet; sed recogitet animo se omnium rerum conditionem et communem vitæ legem experiri. Se arbitretur similem esse nautis, qui, vela ventis quum commiserunt, sæpius feruntur non quo voluntas peteret, sed quo fluctus impellit. Agricolas etiam in mentem revocet, quibus non sperandum est futurum esse ut singulis annis amplissimas ditissimasque segetes colligant (2).

His vero in medium prolatis, quo majorem vim et auctoritatem Philosophia tribuat, duas cum brevitate sententias addit : quarum una, ponit hominem, quum bona vitæ pro suo jure nequeat vindicare, immerito affirmare se, nisi hæc bona possideat, injuste affici a Deo (3); altera autem, dicit tam inexplebilem in homine inesse cupiditatem, ut, quo affluentius voluptates undique hauriat, eo ardentius omnia appetat, nedum suis adversus divinam benignitatem querimoniis imponat finem (4).

§ II.

Firmiorem argumentationem Philosophia jam instituit. Quod enim Providentiæ impugnatores asserunt, innumerabilibus miseriis vexari homines, id omnino respuit, ac pro commentitio et falso habet.

Primum, inquit, omnibus hominibus, vel qui duxerunt vitam miserrimam, multa, quorum memoriam servare deberent, prospere evenerunt. Deinde, quo tempore acerbiora patiuntur, eo ipso non pauca feliciter sibi cedere, quæ etiam mente revocare oportet, fateri coguntur.

Quis enim, si quid contigerit Boetio ipsi voluerit considerare,

(1) Consolat. Philos., lib. II, pros. 2.
(2) Ibid., lib. II, pros. 2.
(3) Ibid., lib. II, pros. 1.
(4) Ibid., lib. II, metr. 2.

quis non mirabitur quot et quanta bona acceperit? Omittamus, si placet, quam benigne, patre mortuo, fuerit a viris clarissimis susceptus; quam præstantis illustrisque soceri consecutus sit gratiam; quam ornatam et venerandam duxerit uxorem; quam egregios natura filios habuerit. Nonne ipse, vix adolescentia egressus, amplissimis honoribus auctus est ? Nonne diem illum meminit, quo fuit incredibili et quasi divina felicitate cumulatus, quum vidit suos filios simul consulatu amplificatos, atque omni Patrum frequentia, omnique populi plausu celebratos; quum, filiis suis in curia sedentibus, ipse, regis aggressus laudes, ingenii et eloquentiæ famam obtinuit; quum in Circo, amborum consulum medius, circumfusam multitudinem triumphali largitione satiavit. Ergo hæc omnia non sinat elabi sua mente; neque Deum incuset, quasi nihil unquam nisi adversa fuisset expertus (1).

Jam vero, ut alteram argumentationis partem perficiamus, Boetius, quamvis patria exsulans, et facultatibus nudatus, et damnatus ad mortem, negare nequit se etiamnunc *quampluri-mis et maximis abundare* (2).

Frustra contendit quo quis fuerit felicior, eum, quum recogitat de felicitate præterita, eo miseriorem esse. Nam quidquid contra dicat, nonne, quod maximi pretii omni jure faciebat, id illæsum adhuc possidet inviolatumque? « Viget incolumis, inquit Philosophia, illud pretiosissimum generis humani decus, Symmachus socer, et, quod vitæ pretio non segnis emeres, vir totus ex sapientia virtutibusque factus, suarum securus, tuis ingemiscit injuriis. Vivit uxor ingenio modesta, pudicitiæ pudore præcellens, et, ut omnes ejus dotes breviter includam, patri similis..... Quid dicam liberos consulares, quorum jam, ut in id ætatis pueris, vel paterni, vel aviti specimen elucet ingenii. Quum igitur præcipua sit mortalibus vitæ cura reti-

(1) Consolat. Philos., lib. II, pros. 3.
(2) Ibid., lib. II, pros. 4.

nendæ, o te, si tua bona cognoscas, felicem, cui suppetunt etiam nunc, quæ vita nemo dubitat esse cariora? Quare sicca jam lacrymas (1). »

Præclarissimo igitur Boetii exemplo apparet, quod modo significabamus, homines, vel quo tempore multas calamitates patiuntur, non paucis bonis recreari. Quibus vero attente perpensis, nemo jam poterit dubitare quin homines, quum propter vitæ miserias volunt Providentiam tollere, eas miserias præter modum amplificent, augeantque.

§ III.

Sententia eorum, qui innumeris asserunt homines miseriis opprimi confutata, instat Philosophia fingentibus vitæ humanæ calamitates acerbas esse plus æquo atque intolerabiles. Quos Providentiæ impugnatores sic redarguit tum vitæ miserias tanta esse, quanta isti volunt, acerbitate negando ; tum etiam affirmando eas ne minimi quidem pretii esse faciendas.

I. Dolentes quod fortunæ bona, divitias, honores, famam, cæteraque generis ejusdem aut jam amiserint, aut nunquam possederint, ut probaretur nihil lamentari nisi falsum, nisi vanum, nisi futile, nisi inane, satis esset, his omnibus fortunæ bonis simul quasi in conspectu positis, ostendere quam fragilia sint, quam caduca (2). Istius enim modi bona, etiamsi morte solum ab illis sejungeremur, non possumus servare nisi tempus brevissimum (3); imo, dum illis fruimur, nobis afferunt gaudium tam volucre, tam vagum, tam exiguum ut nullo jure, propter ista momenta corporis, in supremam benignitatem invehi liceat.

(1) Consolat. Philos., lib. II, pros. 4.
(2) Ibid., lib. II, pros. 5.
(3) Ibid., lib. II, pros. 3, col. 674 ; — pros. 4, col. 685.

Quo abundantius confirmet suam argumentationem, singula fortunæ bona Philosophia recenset, ac quid in illis reperiatur, sagaci judicio disquirit. Multa de divitiis disserit (1), multa de potentia et honoribus (2) ; multa de gloria et fama (3), quæ omnia perlongum esset proferre in medium. Nobis sufficiat, rebus quas exponit contractis in summam, significare cuncta Philosophiæ argumenta eo tendere ut fiat perspicuum diversa fortunæ bona neque quod promittunt tribuere, neque curas et sollicitudines a nobis avertere.

Mox grandiorem sententiam Philosophia subjungit : qua ponitur fortunam adversam esse non solum tolerabilem, sed etiam salutarem, imo fortunæ bonæ anteponendam, propterea quod nobis præbeat majorem utilitatem : « Plus hominibus reor, inquit, adversam quam prosperam prodesse fortunam (4). » Quam quidem sententiam ut corroboret, nonnullis argumentis utitur, quorum unum mihi videtur præcipuum : « Felix, inquit, (fortuna) a vero bono devios blanditiis trahit ; adversa plerumque ad vera bona reduces unco retrahit (5). »

II. Firmius ostendamus (inquit) miserias hominum nullius pretii esse faciendas. Multi propter hanc causam ista mala ægre nimium ferunt, quod beatam vitam in bonis fortunæ sitam esse arbitrentur ; sed longe aberrant a vero. Summum enim bonum, quod toto animo cupiunt, minime istiusmodi commodis constituitur.

Primum extra controversiam Philosophia ponit felicitatem ab hominibus expeti omni studio, et omni diligentia quæri ; atque hanc quidem non parvam, non exiguam, non arctis terminatam finibus, sed magnam et immensam et ita omnibus bonis cumu-

(1) Consolat. Philos., lib. II, pros. 5, metr. 5.
(2) Ibid., pros. 6.
(3) Ibid., pros. 7, metr. 7.
(4) Ibid., pros. 8.
(5) Ibid., pros. 8.

latam ut nihil possit ultra optari : « Omnis mortalium cura, inquit Philosophia, quam multiplicium studiorum labor exercet, diverso quidem calle procedit, sed ad unum tamen beatitudinis finem nititur pervenire. Id autem est bonum, quo quis adepto nihil ulterius desiderare queat. Quod quidem est omnium summum bonorum, cunctaque intra se bona continens : cui si quid abforet, summum esse non posset, quoniam relinqueretur extrinsecus, quod posset optari. Liquet igitur esse beatitudinem statum bonorum omnium congregatione perfectum (1). »

Summam felicitatem aut, ut Boetii verbis utamur, *summum bonum* omnes facile concedunt esse ultimum finem quo, quidquid agamus, quidquid laboremus, quacumque pergamus via, totius animi tendimus vi atque impetu : quid autem sit hæc perfecta felicitas, in quo consistat, ubi inveniatur, inquirere qui voluerunt, errore fuerunt sæpius decepti (2).

Plerique enim se arbitrantur felicitatem, de qua loquimur, non esse consecuturos, nisi honorati fiant, nisi potentes, nisi omni rerum copia abundantes, nisi omni gaudio perfusi ; idcirco divitias, et honores, et regna, et gloriam, et voluptates incredibili ardore prosequuntur, quod omnino habeant persuasum se, bonis quæ recensuimus detractis, lamentabile ducturos ævum, at contra, iisdem obtentis, vita summe beata fruituros (3).

De istis vero hominibus quid judicandum ? Eos tenet miserabilis ignoratio veri : beatam enim vitam ejus generis commodis compleri, prorsus negandum est (4).

Illud ut confirmet Boetius, eamdem fere argumentationem instituit qua usus fuerat modo, quum non tantis calamitatibus, quantis plerique dicere solent, genus humanum vexari probare

(1) Consolat. Philos., lib. III, pros. 2.
(2) Ibid., lib. III, pros. 2.
(3) Ibid., lib. III, pros. 2.
(4) Ibid., col. 724.

vellet. Rursus divitias recenset, honores, regna, gloriam atque etiam voluptates, de quibus omnibus multa rursus proponit soluta oratione, multa sagaci ingenio disputat, multa exornat carminibus, præclarisque sententiis auget (1) ; ac tandem, ut conclusa nobis jam hæc sit omnis ratio, ostendit in iis, quæ vulgo tam magni facimus, neque quod promittebant inveniri, neque cumulatam esse omnium bonorum complexionem (2).

Subtiliorem postremo causam addit Boetius, cur omnia humanæ vitæ bona non ea sint quæ perfectam felicitatem præbeant.

Omnia bona fortunæ, inquit, si singula consideraverimus, divitias, opes, regna, gloriam, voluptates, non aliud esse fatebimur nisi quasdam felicitatis humanæ partes. Summum autem bonum est aliquid « unum simplexque natura (3). » Ex quo fit ut qui hanc, quæ constat multis partibus, felicitatem cupit, quæritque, is, ad falsum et imperfectum bonum tendat, a vero autem et perfecto bono, quod diversis partibus componi nequit, longe deflectat atque aberret (4).

III. Ulterius enim progrediamur. Quo clarius intelligatis, inquit Philosophia, non vitæ bonis perfici summam felicitatem, jam quæ sit illa suprema felicitas, in quo consistat, detegamus; non est enim dubium quin quisque, ut veram summi boni effigiem conspexerit, statim quanto intervallo summum bonum distet ab infimis caducisque rebus, omnino sit perspecturus.

Ubi igitur summum bonum inveniemus ?

His versibus incipit Boetius indicare ubi summum bonum quæramus necesse sit : homines, inquit,

« .... Quonam lateat, quod cupiunt bonum,
Nescire cæci sustinent,

(1) Consolat. Philos., lib. III, pros. 3, metr. 3. — Pros. 4, metr. 4. — Pros. 5. — Pros. 6, metr. 6. — Pros. 7, metr. 7.

(2) Ibid., lib. III, pros. 3, col. 732.

(3) Ibid., lib. III, pros. 9, col. 756.

(4) Ibid., lib. III, pros. 9.

Et quod stelliferum trans abiit polum,
Tellure demersi petunt (1). »

Ergo quod in terris non invenitur, vel ultra terras situm est, vel nusquam exsistit.

Hic autem Boetius qui firmo securoque gradu procedebat, subito anxius videtur hærere. Nonne aliquid persequitur vanum, et vacuum, et inane ? Summum bonum petere putat : nonne vero falsam speciem sibi effingit, nonne cassa imagine decipitur (2) ?

Sed mox omnem dubitationem mente sua excutit. Summum bonum esse, inquit, tenendum est pro certissimo (3).

Argumentum, quo summum bonum esse probat, nequeo prætermittere. Illa enim ratione (quam ponit extra controversiam) ductus quod nihil esset imperfectum, nisi quid perfecti esset, unde, quasi e plenissimo fonte, imperfectum illud suam vim hauriret, Boetius affirmat, quum quædam non perfecta, quibus fruimur, bona sint, eo ipso summum bonum esse, omni jure concludendum.

« Omne enim, inquit Philosophia, quod imperfectum esse dicitur, id imminutione perfecti imperfectum esse perhibetur. Quo fit, ut si in quolibet genere imperfectum quid esse videatur, in eo, perfectum quoque aliquid esse, necesse sit. Etenim perfectione sublata, unde illud, quod imperfectum perhibetur, exstiterit, ne fingi quidem potest.... Quod si, uti paulo ante monstravimus, est quædam boni fragilis imperfecta felicitas, esse aliquam solidam perfectamque non potest dubitari (4). »

Nunc vero, quum quin exsistat summum bonum non dubitemus, in quo consistat detegatur.

(1) Consolat. Philos., lib. III, metr. 8.
(2) Ibid., lib. III, pros. 10.
(3) Ibid., lib. III, pros. 18.
(4) Ibid., lib. III, pros. 10, col. 764.

Primum bonum illud Boetius asserit in Deo esse situm (1); deinde Deum, summumque bonum esse unum atque idem (2).

Hanc pulchram sane, et optimam, et sublimem doctrinam Boetius, ut fulciat argumentis, multa profert in medium, quorum pleraque, credo equidem, subtiliter nimis excogitata sunt (3). Quæ tamen vim et pondus præ cæteris videntur habere, si conferuntur in summam, nihil aliud significant, nisi Deum, quippe qui omnino perfectus sit, imo solus sit perfectus, non solum frui summo bono, sed etiam ita cum summo bono confundi ut prorsus fieri nequeat unum ab altero discrepare, unum sine altero intelligi.

Ex iis quæ antea dicta sunt, conficit Boetius id maximi momenti, quod necessario sequi censet, Deum nempe, Deumque solum, esse ultimum finem ad quem semper debemus tendere, quin etiam (quod verbis nimium concisis indicat) quem, velimus nolimus, continuo appetimus et prosequimur (4). Dies tandem, inquit, eveniet, qua supremam felicitatem jam consecuti, ita arctis vinculis conjungemur Deo, ut nos divinam naturam quasi induere videamur (5).

Jam mens Boetii fertur in sublime; jam minime curat de argumentis quibus homines solent Providentiam impugnare. Boetio enim supremam, quæ nos in æthereis sedibus manet, felicitatem aspicienti, parvæ admodum habentur et exiguæ, et

(1) Consolat. Philos., lib. III, pros. 10, col. 765, 769.

(2) Ibid., lib. III, pros. 10, col. 766, 769.

(3) Ibid., col. 766, 767, 768.

(4) Ibid., lib. III, pros. 10, col. 768, 769; — pros. 12, col. 779-781.

(5) Lib. III, pros. 10, col. 767. — Quæ in eo loco Boetius ex modo relata, quam exponit de summo bono, doctrina infert; quæ etiam tam intricata et obscura de *Uno* disserit, in alteram operis nostri partem, ne rerum, quas explanamus, seriem turbarent, de industria distulimus.

nullius pretii, vitæ hujus miseriæ et calamitates : neque locus est de Deo querendi, cujus benignitate et sapientia ad illam usque incredibilem et perfectam felicitatem, vel per calamitates et miserias, dirigitur, diciturque. Hunc vero totius argumentationis suæ finem vix indicat Philosophia, ut quæ, rapta numine, viles terras despiciat, et, Deum solum intuita, hæc divina carmina rursum lyrico plectro canere mihi videatur :

« Da, Pater, augustam menti conscendere sedem,
Da fontem lustrare boni, da, luce reperta,
In te conspicuos animi defigere visus.
Disjice terrenæ nebulas et pondera molis,
Atque tuo splendore mica : tu namque serenum,
Tu requies tranquilla piis ; te cernere finis,
Principium, vector, dux, semita, terminus idem (1). »

(1) Consolat. Philos., lib. III, metr. 9, col. 763.

CAPUT SECUNDUM.

Utrum improborum prosperitates justitiam Providentiæ redarguant.

« Ut nec domus, præclare inquit Cicero, nec respublica ratione quadam et disciplina designata videatur, si in ea nec recte factis præmia exstent ulla, nec supplicia peccâtis : sic mundi divina in homines moderatio profecto nulla est, si in ea discrimen nullum est bonorum et malorum (1). » At videmus non raro in terris salvos esse improbos, sceleratos, impios; deleri innocentes, honestos, bonos : quæ igitur quum ita se habeant, nonne cogimur, quin Deus homines regat, prorsus dubitare ? Hæc, Lactantio teste (2), Epicurum ut generi humano a Deo provideri negaret impulerant; hæc Epicureis omnibus adversus Providentiam admovebant stimulos; imo hæc totum populum Romanum commovebant qui, quamvis recta natura admonitus rempublicam suam a diis immortalibus regi sæpius profiteretur, celeberrimos istos, quos Tullius memorat, Ennii versus in theatro recitatos, solebat magno plausu excipere :

« Ego Deum genus esse semper dixi et dicam Cœlitum,
Sed eos non curare opinor quid agat hominum genus;
Nam si curent, bene bonis sit, malis male, quod nunc abest (3). »

(1) Natura Deorum, III, 35.
(2) Lactant., Institut., III, 17.
(3) Cicer., Divinat., II, 50.

Itaque minime mirum nobis debet videri Boetium in se recogitantem quam immeritis calamitatibus afficiatur, quam impudenti insolentia sint nefarii homines, a quibus fuit in ruinam præceps datus, non mirum est, inquam, Boetium ea præcipue causa adduci ut res humanas, quæ tam deploranda confusione permiscentur, omnino neget ab æquo justoque Numine procurari. Fortuna enim, inquit,

« . . . . Premit insontes
Debita sceleri noxia pœna ;
At perversi resident celso
Mores solio, sanctaque calcant
Injusta vice colla nocentes.
Latet obscuris condita virtus
Clara tenebris, justusque tulit
Crimen iniqui (1). »

Cujus autem argumenti, quod in primo Consolationis suæ libro jam indicaverat (2), vim et pondus multum auget quum, quarto operis sui libro ineunte, quanta ex improborum prosperitatibus difficultas oriatur rursus exponit, sicque Philosophiam acrius urget :

« Ea ipsa est, inquit, vel maxima nostri causa mœroris, quod, quum rerum bonus rector existat, vel esse omnino mala possint, vel impunita prætereant. Quod solum quanta dignum sit admiratione, profecto consideras. At huic aliud majus adjungitur : nam imperante, florenteque nequitia, virtus non solum præmiis caret, verum etiam sceleratorum pedibus subjecta calcatur, et in locum facinorum supplicia luit. Quæ fieri in regno scientis omnia, potentis omnia, sed bona tantum volentis Dei, nemo satis potest nec admirari, nec conqueri (3). »

Hanc vero Boetii argumentationem confutandi gratia, duplici

(1) Consolat. Philos., lib. I, metr. 5.
(2) Ibid., lib. I, pros. 4, col. 632, 633.
(3) Ibid., lib. IV, pros. 1.

ratione Philosophia utitur : primum prorsus negat tum bonos esse miseros, tum improbos, beatos; deinde affirmat maximam vel privatorum, vel totius reipublicæ utilitatem esse causam cur probis mala, improbis bona nonnunquam eveniant.

§ I.

Primum Philosophia et bonos misere et improbos beate vivere omnino respuit et pro falso habet : « Et esset, inquit, infiniti stuporis, omnibusque horribilius monstris si, uti tu existimas, in tanta veluti patrisfamilias dispositissima domo, vilia vasa colerentur, pretiosa sordescerent : sed non ita est (1). »

Statim docta et diligenti, quam in tres partes dividit, argumentatione, ostendere Philosophia conatur bonos quidem nunquam potentia, nunquam præmio, nunquam felicitate carere; improbos autem semper imbecillitate laborare, semper pœna affici, semper in miseria esse :

« Si ea, inquit, quæ paulo ante conclusa sunt, inconvulsa servantur, ipso, de cujus nunc regno loquimur, auctore cognosces, semper quidem potentes bonos esse, malos vero abjectos semper atque imbecilles; nec sine pœna unquam esse vitia, nec sine præmio virtutes: bonis felicia, malis semper infortunata contingere (2). »

I. Quas primum tractat argumentationis suæ partes, bonos semper esse potentes, malos semper imbecilles, observandum est ita arcto vinculo conjungi ut, qui alteram partem confirmat, alteram simul confirmet necesse sit : quod quidem fixum memoria debemus tenere, ne nos fugiat cur Philosophia, argumenta sua explicando, modo de bonis loquatur, modo de malis.

Sic autem exponit quæ sit bonorum potentia, quæ malorum imbecillitas.

(1) Consolat. Philos., lib. IV, pros, 1.
(2) Ibid., lib. IV, pros. 1.

Supra dictum est homines ad unum finem omnes tendere, omnes supremam felicitatem, omnes summum bonum appetere. Sed bonum illud qui consequuntur, quum eo ipso boni fiant (certum est, inquit, adeptione boni bonos fieri) (1); bono autem qui carent, quum omni jure mali sint existimandi, evidens est bonos, ut qui quod obtinere enitebantur obtineant, esse summa potestate præditos; contra malos, ut qui non, quo cupiebant pervenire, perveniant, omni potentia nudari.

Id est omnium caput, quæ Philosophia de potentia bonorum, de improborum imbecillitate disserit: hanc vero argumentandi rationem e Platonicis disciplinis haustam explicatura planius, multa profert quæ sunt nobis breviter indicanda.

Nonne (inquit), miserabili admodum imbecillitate detinentur improbi? Spe enim sua non fraudantur solum, sed etiam id amittunt quod, ipsa natura impellente, persequuntur; quod maximi faciunt pretii; quod summis votis petunt, summoque conatu (2).

Sed illud quoque est notandum, improbos qui, cupiditatibus suis indulgendo, bonum summum assequi tentant (etsi constat homines non bonum illud consequi posse nisi colendo virtutes), minime tenere rectam facilemque, quam natura ipsa indicabat, viam: qua autem recta via quum, turpissimo errore decepti, cogantur aberrare, quam in lugenda imbecillitate sint, rursus fit perspicuum (3).

« Cur enim relicta virtute vitia sectantur? Inscitiane bonorum? Sed quid enervatius ignorantiæ cæcitate? An sectanda noverunt, sed transversos eos libido præcipitat? Sic quoque intemperantia fragiles, qui obluctari vitio nequeunt. — An scientes volentesque bonum deserunt, ad vitia deflectuntur?

(1) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 2, col. 792.
(2) Ibid., lib. IV, pros. 2.
(3) Ibid., col. 793.

Sed hoc modo non solum potentes esse, sed omnino esse desinunt (1). »

Ex tribus his, quæ indicat, argumentis, primum prætermittit Philosophia; alterum carmine sequenti, quo ostendit quam duris catenis qui cupiditatibus suis inserviunt comprimantur, venuste amplificat et eleganter; tertium tandem, quod clariore explicatione indiget, latius fusiusque exponit.

Ne mirum videatur, inquit, quod modo diximus, *improbos esse desinere* : his enim verbis non significare volumus malos nullo modo esse, sed tantum ita viles qua fœdantur malitia effici, ita contemptos, ita abjectos ut jam prorsus indigni fiant qui aliis hominibus pares existimentur et æquales, atque absolute esse dicantur : « Quod quidem cuipiam mirum forte videatur ut malos, qui plures hominum sunt, eosdem non esse dicamus : sed ita sese res habet. Nam qui mali sunt, eos malos esse non abnuo ; sed eosdem esse pure atque simpliciter nego (2). »

Hanc autem sententiam, quam a recto obvioque verborum sensu, sicuti in ultimo operis nostri capite videbimus, non pauci recentiores detorserunt, Philosophia multis locis facit clariorem, et statim lucida similitudine aperit : « Nam uti cadaver, inquit, *hominem mortuum* dixeris, simpliciter vero *hominem* appellare non possis : ita vitiosos, malos quidem esse concesserim, sed esse absolute nequeam confieri (3). »

Improbos igitur qui nec supremum bonum consequi, nec qua ad id recte ducerentur via progredi possunt, nec propter justas laudabilesque causas deserunt virtutem et vitiis serviunt, summa imbecillitate laborare habendum est pro certissimo.

At si ea ratione ducti quod non recte quidem, male autem agere queant, improbos aliqua potentia frui voluerimus asserere,

(1) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 2, col. 794.
(2) Ibid., lib. IV, pros. 2, col. 794.
(3) Ibid., col. 795.

Philosophia affirmat, nobis istam potestatem vel potius miserabilem licentiam considerantibus, novum argumentum afferri, ex quo imbecilles esse improbos magis ac magis perspicitur.

Quæ vero Philosophia disserit ut improbos, quo pejus possunt agere, eo pejore imbecillitate detineri ostendat, ea subtilissime excogitata, et non parvis difficultatibus impedita, perlongum esset explicare.

Primum enim rem proponit gravissimi momenti, et dignam sane quæ a philosophis attente perpendatur, nempe malum *nihil esse;* ea autem doctrina admissa, sequi censet licentiam, qua utuntur mali, esse *nullam* (1). Hæc omnia utrum lucide firmeque probentur, non hic disquirendum.

Deinde subjungit istam malorum inique agendi potestatem tam brevem esse, tam exiguo tempore circumscriptam, ut eam vix aliquid existimare debeamus (2).

II. Concessis quæ modo explanavimus argumentis, inquit Philosophia, quum supremam, quam omnes homines expetunt, felicitatem boni obtineant, mali contra amittant, fateri cogimur hos quidem pœna, illos autem præmio nunquam carere.

Sed ne quis pœnam, quæ imminet improbis, præmium, quod bonos manet, existimet a nobis, nostræ argumentationis confirmandæ gratia, immerito afferri, propter eam causam quod in futura tantum vita boni sint supremam felicitatem consecuturi; Philosophia docet virtutis præmium in virtute ipsa situm esse, vitii pœnam in malo ipso esse positam (3). Hac autem doctrina quid efficiatur, nemo non videt.

Recte factis præmia, inique gestis pœnæ ita arcto vinculo conjunguntur, ut qui recte agit, mercedem qua nunquam fraudari potest, ipse tribuat sibi; qui vero admittit improbitatem, pœna quam vitare nequit, statim ipse se afficiat : « Melioribus

(1) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 2, col. 795.
(2) Ibid., lib. IV, pros. 2, col. 804.
(3) Ibid., lib. IV, pros. 3.

animum conformaveris, inquit, nihil opus est judice præmium deferente; tu te ipse excellentioribus addidisti. Studium ad pejora deflexeris; extra ne quæsieris ultorem; tu te ipse in deteriora detrusisti (1). »

At merces illa, quam bonus vir invenit in virtute sua, utrum magna sit et pulchra et sublimis, an parva et exigua mediocrisque si quis quæsierit, est omni fiducia respondendum eam optimam esse et immensam et absolutam. Fuit enim jam probatum qui sanctitate vitæ, integerrimisque moribus consequuntur supremam felicitatem, eos ita proximos Deo fieri ut ipsius divinæ naturæ quasi participes efficiantur : « Bonos omnes, inquit rursus Philosophia, eo ipso quod boni sint, fieri beatos liquet; sed qui beati sunt, deos esse convenit (2). » Igitur, ut verba illa (quibus nonnulli aliquid altius significari volunt), recte intelligamus, suprema, qua boni fruituri sunt merces, nihil aliud est quam in se perfecta et ad summum perducta natura : est homini cum Deo mirabilis similitudo.

Quanta autem sit improborum pœna, ex his, quæ de bonorum præmio diximus, inquit, facile colligitur. Improbi enim, quum ipsa malitia sua, qua fædati fuerunt atque infecti puniantur, mox indigni fiunt qui majora obtineant, ad quæ eos natura genuerat et conformaverat. Quapropter tantum abest ut, probos piosque viros secuti, accedant ad Deum, ut contra propterea quod, omni animi abjectione depressi, appetitu suo huc illuc rapiantur, neque obediant rationi, vix aliquam hominis speciem præ se ferant, et animalibus consilio carentibus jam similes sint; quin imo, quemadmodum de miseris Ulyssei sociis narratur, quos poetæ fingunt fuisse Circes venenis versos in monstra, sic nefarii isti homines in vultus ferarum indui videantur (3).

III. Probavit Philosophia bonos nunquam præmio, malos

(1) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 4, col. 807.
(2) Ibid., lib. IV, pros. 3, col. 798.
(3) Ibid., lib. IV, pros. 3, metr. 3.

nunquam pœna carere. Id ergo confirmatum simul fuisse arbitratur, quod sibi proposuerat ultimo loco tractandum, bonos semper beate vivere, malos semper misere (1). Itaque « bonos esse felices, malos vero miseros (2) » ponit pro concesso, et satis esse ducit quædam breviter indicare, unde intelligatur quid improbis, quod malitia sua miseri fiant, accidat.

Primum, inquit, improbi miseriores sunt, quanquam id videtur incredibile, quum cupiditates suas explent, quam quum, quod inique cupiunt, nequeunt perficere : velle enim quod non deceat, id ipsum miserum est; posse, miserius; perficere, miserrimum (3).

Deinde, quo diutius iniquitate se corrumpunt, eo asperiore sorte vexantur : quorum quidem, nisi mors malitiæ finem imponeret, pessima esset calamitas (4).

Tandem infeliciores sunt improbi quibus impunitas data videtur, quam qui debitas scelerum pœnas luunt (5). Iis autem verbis non significare volumus utilem bonamque esse mali reprehensionem, propter eam causam quod vel nocentes ipsi sæpe emendentur, vel saltem affecti pœna, alios homines iniquitatis turpitudinem doceant, atque ab injuriosa facinorosaque vita deterreant; sed propter eam quod, etiamsi utrum corrigantur necne improbi, utrum utile aliis exemplum præbeant necne parum curaremus, tamen negari nequeat aliquid justi esse in castigatione improbitatis, aliquid injusti in impunitate : quæ ergo res quum ita se habeat, nocentes quando nullum peccati supplicium sustinent, tunc acerbiore miseria vexari necesse est judicemus (6).

(1) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 3, col. 799.
(2) Ibid., lib. IV, pros. 4, col. 805.
(3) Ibid., lib. IV, pros. 4, col. 803.
(4) Ibid., lib. IV, pros. 4, col. 804.
(5) Ibid., lib. IV, pros. 4, col. 805.
(6) Ibid., lib. IV, pros. 4, col. 805.

Eo loco Philosophia argumentum gravissimi momenti attingit, quo quidem potuisset litem brevissime dirimere, et totam disputationem firmissime absolvere : « Sed quæso, inquam, te, nullane animarum supplicia post defunctum morte corpus relinquis ? — Et magna quidem, inquit ; quorum alia pœnali acerbitate, alia vero purgatoria clementia exerceri puto (1). »

Igitur quum non dubium sit quin impiis hac vita functis æterna supplicia immineant, evidens est istorum hominum, qui Numen iratum scelerisque ultorem minime fugient, pessimam esse sortem et miserrimam atque omni luctu deplorandam. — « Sed de his, inquit, disserere, consilium non est (2). » — Philosophia enim, improbos semper potentia carere, semper pœna reprimi, semper infelicem vitam agere, satis superque ostendi arbitratur ; in se recogitat quam funesta sit eorum conditio, quam immensa felicitate priventur, ac cœpit nos hortari ut improbos miseremur, nedum detestemur odio :

« Vis aptam meritis vicem referre ?
Dilige jure bonos, et miseresce malis (3). »

Pulcherrima sane verba et optimo viro digna. Quis enim non moveatur vehementer quod Boetius, qui tam duram tam immeritam fortunam patitur ut modo res humanas a Deo justo gubernari vix credere posset, jam, divina doctrina imbutus, non suam, sed hominum, a quibus inique habitus est, sortem deflet ac lamentatur !

§ II.

Improborum prosperitatibus justitiam Providentiæ tolli existimantes Philosophia longo sermone confutavit, ostendendo

(1) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 4, col. 806.
(2) Ibid., lib. IV, pros. 4, col. 806.
(3) Ibid., lib. IV, metr. 4, col. 808.

quam in turpem errorem, qui credunt improborum vitam rebus secundis cumulari, labantur. Nunc aliud argumentandi genus, quo magis Providentiam ponat in tuto, instituit, et, quum non possit non videre quoties bonis male eveniat, quoties improbis optime (1), probare enititur maximam vel privatorum vel totius reipublicæ utilitatem esse causam cur bonis mala, improbis bona nonnunquam evenire videantur.

At multum abest ut hæc statim et adversa fronte aggrediatur Philosophia. Boetius enim, quanquam quæ jam exposita sunt non negat fuisse docte disquisita et sagaciter dijudicata, quæstionem tamen non credit absolvi omnino, et Philosophiam urget angustius. Non dubito, inquit, quin optima res sit virtus, pessima res improbitas. Sed, quæso, num ideo tollitur omnis, quam conquerimur, perturbatio ? Non raro accidit ut bonus vir incredibiles calamitates ferat, exsilium, paupertatem, ignominiam, carcerem, mortemque : contra autem improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur; omnes ad eum honores, omnia imperia, omnes opes, omnes undique copiæ conferantur. Nonne vero nos de his cogitantes magnus stupor opprimit ? Quæ justa tantæ confusionis ratio dari queat (2) ?

Satis est, respondet Philosophia, revocare in memoriam humanum genus gubernari a Deo optimo et sapientissimo ; qui quum nihil iniqui, nihil injusti facere possit, omnia quæ eveniunt, quamvis cur ita fiant sæpe neque sciamus, neque intelligamus, pro certo habendum est ea regi legibus æquissimis : « Tu, quamvis causam tantæ dispositionis ignores, tamen quoniam bonus mundum rector temperat, recte fieri cuncta ne dubites (3). »

Assumit autem Boetius hoc modo : Ulterius progredi velim ; et jam certior factus justissimas esse causas cur, Deo annuente,

(1) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 5.
(2) Ibid., lib. IV, pros. 5.
(3) Ibid., lib. IV, pros. 5.



bonis mala eveniant, improbis bona, vehementer cupio eas causas detegere, vel saltem quasi per caliginem videre.

Interroganti autem Boetio Philosophia, quasi tantæ difficultatis opus aggredi non ausa, respondet magnum esse omnino atque arduum quod quæritur : imo, qui de bonorum calamitatibus, de prosperitatibus improborum disserit, eum cogi multa de Providentiæ natura, multa de fato et repentinis casibus, multa de ratione qua Deus futura prænoscit, multa de libertate humana examinare : quæ omnia nemo nescit quam longa disquisitione indigeant, quam acri et attenta cogitatione : quippe quæ magis ac magis menti afferant obscuritatem et tenebras, nedum rebus adhibeant lumen : « Ad rem me, inquit, omnium quæsitu maximam vocas, cui vix exhausti quidquam satis sit. Talis namque materia est ut, una dubitatione succisa, innumerabiles aliæ, velut hydræ capita, succrescant : nec ullus fuerit modus, nisi quis eas vivacissimo mentis igne coerceat. In hac enim de Providentiæ simplicitate, de Fati serie, de repentinis casibus, de cognitione ac prædestinatione divina, de arbitrii libertate quæri solet : quæ quanti oneris sint, ipse perpendis (1). »

Non pauca igitur de fato et repentinis casibus subjungit, eo quidem consilio ut cuncta quæ fiunt ostendat a Deo regi, idcircoque recte et optime administrari (2). Quibus vero, quæ perlonga mihi videntur et vix ad rem pertinentia, traditis, postquam rursus quædam præposuit, quibus significat nos, de hominum probitate aut nequitia proferentes judicium, nonnunquam in eo errore esse ut bonum virum, sceleratum, facinorosum, nefarium putemus ; contra autem, qui est improbissimus, eum existimemus esse summa pietate ac fide (3) ; tandem Philosophia affirmat, ut supra indicavimus, maximam vel priva-

(1) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 6.
(2) Ibid., lib. IV, pros. 6.
(3) Ibid., lib. IV, pros. 6, col. 817.

torum, vel totius reipublicæ utilitatem esse causam cur bonis mala, improbis bona sæpe eveniant.

Si essemus, inquit, perfectæ illius scientiæ participes, qua Deus « intimam temperiem, veluti in corporibus dici solet, animorum » intuitus, plane novit quid cuiquam homini sit utilissimum, quid opportunissimum toti generi humano, dubitare non possemus quin justissimæ causæ sint cur boni fortunam, modo prosperam, modo adversam experiantur (1).

Prosperitatibus enim boni viri cumulantur aliquando, propterea quia vel non sunt ea mentis constantia et fortitudine ut calamitates æquo animo ferre queant; quos igitur benigna Providentia neque severe neque dure habere vult : vel contra omni virtute instructi, omni sanctitate ornati, proxime Deo jam accedunt; quos ergo ne levissima quidem miseria vexari Deus æquum censet : vel tandem quo magis honoribus dignitatibusque augentur, eo efficacius improborum impudentiam reprimunt retunduntque, eo majorem reipublicæ conferunt utilitatem (2).

At salva justitia, salva etiam qua omnes homines complectitur benignitate, Deus aliquando calamitatibus sinit opprimi bonos. Quorum quidem alii sunt adversis rebus exercendi ne longa felicitate corrumpantur, ne, quid ipsi sustinere valeant ignorantes, vel (ut Philosophiæ verbis utar) plus æquo metuant quod ferre possunt, vel plus æquo despiciant quod ferre non possunt (3). Alii subeant casus et ærumnas necesse est, ut patientia malorum quasi fingantur ac virtutes suas confirment. Alios tandem non propter aliam causam tentari videmus, et cruciari, et occidi, quam quod suppliciis constantissime toleratis, tolerata fortiter morte, tum sibi acquirant famam immorta-

(1) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 6, col. 818.
(2) Ibid., lib. IV, pros. 6, col. 818.
(3) Ibid., lib. IV, pros. 6, col. 819.

lem, tum cæteris egregium exemplum præbeant, quo doceantur « invictam malis esse virtutem (1). »

Mox simili argumentandi ratione ostenditur magnam ex rebus, quæ improbis prospere aut misere eveniunt, utilitatem conferri. Dure quidem improbos haberi a Deo, nemini mirum videtur : sic enim debitas scelerum, quæ commisere, pœnas luunt; cæteros homines ab impia vita deterrent; ipsi mores suos sæpe corrigunt (2). Quod si autem secundis rebus cumulentur, non ideo locus erit Deum incusandi. Quæ enim et quanta ex improborum prosperitate contingunt ! Ea boni planius intelligunt quam vilis sit, quam exigua, quam parvi pretii facienda humana felicitas, quæ sæpe vel scelestissimis hominibus tribuitur. Ea improbi aut prohibentur ne fiant pejores (quidam enim tanta pravitate sunt ut quo severius plecterentur, eo effrenatiore temeritate efferrentur) ; aut sponte sua mores mutant quum, recogitando se peccatis quidem fœdari, divitiis vero et opibus aliisque ejusmodi abundare, timeant ne justo Numine puniantur, et quæ cum gaudio possident, misere amittant. Quid plura? « Alios in cladem meritam præcipitavit indigne acta felicitas. Quibusdam permissum puniendi jus, ut exercitii bonis, et malis esset causa supplicii.... Ex quo sæpe summa illa Providentia protulit insigne miraculum, ut malos mali bonos facerent. Nam dum iniqua sibi a pessimis quidam perpeti videntur, noxiorum odio flagrantes, ad virtutis frugem rediere, dum se eis dissimiles student esse, quos oderant (3). »

Boetio igitur omnia hæc in memoriam revocanti, perspicuum fit « omnem fortunam vel jucundam, vel asperam, tum remunerandi exercendive bonos, tum puniendi corrigendive improbos causa deferri (4) ; nec jam dubitandi locus est quin

(1) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 6, col. 819.
(2) Ibid., lib. IV, pros. 6, col. 819, 820.
(3) Ibid., lib. IV, pros. 6, col. 819.
(4) Ibid., lib. IV, pros. 7, col. 823.

Providentiam improborum prosperitatibus tolli qui existimant, miserabili ignorantia sibi faciant fucum. Viros autem optimis disciplinis imbutos, atque edoctos sanam doctrinam, Philosophia, demonstrationi suæ impositura finem, jubet omnes labores ferre libenter, omnia pericula æquo animo subire; ut qui, fortissimis heroibus, quorum egregie facta poetæ celebrarunt, monstrantibus qua via detur ad cœlestes sedes ire, pro certissimo habeant omnes hujus vitæ dolores et miserias suprema, quæ pios in cœlo manet, felicitate magnificentissime remunerari :

« Ite nunc fortes, ubi celsa magni
Ducit exempli via : cur inertes
Terga nudatis ? superata tellus
Sidera donat (1). »

(1) Consolat. Philos., lib. IV, metr. 7.

CAPUT TERTIUM.

Utrum humana libertas sit Providentiæ contraria.

Providentiam nec miseriis hominum, nec improborum prosperitatibus destrui Boetius profiteri jubetur. Itaque jam non negat se habere persuasum omnibus quæ in mundo sunt atque omni generi hominum provideri a Deo; quin etiam ita perfecta administratione consuli ut, quum nihil possit supremum Numen fugere, extra omnem controversiam sit ponendum quod quisque vel egerit, vel agat, vel sit acturus, id cognitione divina apprehendi certissime. Solis quidem, inquit, cujus tamen puros radios poetæ laudibus extulerunt, lux est infirmior quam ut intima terræ aut pelagi viscera penetret; sed quanto magis perspicaci oculo omnia scrutatur terrarum orbis conditor!

« Huic ex alto cuncta tuenti
Nulla terræ mole resistunt;
Non nox atris nubibus obstat,
Quæ sint, quæ fuerint, veniantque
Uno mentis cernit in ictu (1). »

Ex ea autem doctrina, quanquam videtur sublimis, nova, et magna quidem, difficultas oritur. Concessum est non præterita

(1) Consolat. Philos., lib. V, metr. 2.

solum et præsentia sed futura etiam a Deo cognosci : nonne sequitur hominem omni libertate carere? « Nimium adversari, inquit Boetius, ac repugnare videtur prænoscere universa Deum, et esse ullum libertatis arbitrium (1). »

§ I.

Perfectam esse cognitionem qua Deus « ab æterno non facta hominum modo, sed etiam consilia voluntatesque prænoscit (2), » pro inconcusso habere cogimur, nisi quid imperfecti (quod esset horrendum) in Deo esse fingamus. Perfecta autem quum sit hæc cognitio, non dubia est, nec incerta, nec fallax, nec pendet a rebus; sed fixa, et rata, et secura, et, quemcumque fors tulerit casum, minime obnoxia errori. Ex quo fit igitur ut neque res eveniat, nisi antea a Deo visa; neque non eveniat, si eam Deus futuram esse præsenserit; neque alia ratione aut alio tempore incidat, quam ea, quæ a Deo jam cognita fuit, ratione, eo, quod Deus statuerat, tempore : « Neque enim, inquit Boetius, vel factum aliud ullum, vel quælibet existere poterit voluntas, nisi quam nescia falli Providentia divina præsenserit. Nam si res aliorsum, quam provisæ sunt, detorqueri valent, non jam erit futuri firma præscientia, sed opinio potius incerta; quod de Deo credere nefas judico (3). »

Ergo cognitionem qua Deus complectitur futura, ita certam esse fatemur, ita firmam, ita stabilem ut fieri nequeat quæ Deus ventura prænoscit, ea posse non evenire. At si non evenire non possunt, ubi libertas, ubi necessitatis immunitas? Quod si enim Deus eo modo cognoscit futura ut ea certissime eventura sciat, credendum vel omnem libertatem destrui, vel quæ nec certa nec rata sunt, ea immerito pro certissimis a Deo haberi,

(1) Consolat. Philos., lib. V, pros. 3, col. 839.
(2) Ibid., lib. V, pros. 3.
(3) Ibid., lib. V, pros. 3.

qui sic in errorem (« quod sentire non modo nefas est, inquit Boetius, sed etiam voce proferre ») (1), turpissime laberetur. Sin autem ita dubia cognitione futura Deus perceperit, ut ea arbitretur posse evenire necne, quæ erit istiusmodi scientia, in qua nihil sit firmi, nihil fixi? Vix hominum sagaci ingenio præstare videretur Deus; nihil securo judicio pronuntiaret, sed tantum qui incerti essent rerum exitus, eos incertos esse diceret (2). Quum ergo res quarum cognitionem, priusquam fiant, Deus habet, nunquam possint mutari, nunquam cadere in vanum, qua jam libertate homines fruuntur? « Quod si apud illum rerum omnium certissimum fontem nihil incerti esse potest, certus eorum est eventus quæ futura firmiter ille præscierit. Quare nulla est humanis consiliis actionibusque libertas: quas divina mens, sine falsitatis errore cuncta prospiciens, ad unum alligat et constringit eventum (3). »

Sed acrius Philosophiæ Boetius instat. Quantis enim difficultatibus, inquit, proposita quæstio intricetur, nobis evidentius apparebit si, de re quidem ipsa parum curantes, voluerimus saltem considerare quam male ab hominibus vel doctissimis et disciplinarum ad philosophiam pertinentium peritissimis, fuerit absoluta.

Subtilem prorsus et acutam argumentationem, a quibusdam philosophis, difficultatis de qua agitur solvendæ gratia excogitatam, Boetius revocat in memoriam : « Aiunt enim non esse ideo quid eventurum, quoniam id Providentia futurum esse prospexerit, sed e contrario potius, quoniam quid futurum est, id divinam Providentiam latere non posse (4).

Quid acuminis et artificii ista rem exponendi ratio præ se ferat, non fugit Boetium; quam tamen, omnino futilem esse et

(1) Consolat. Philos., lib. V, pros. 3, col. 840.
(2) Ibid., lib. V, pros. 3, col. 841.
(3) Ibid., lib. V, pros. 3, col. 841.
(4) Ibid., lib. V, pros. 3. col. 839.

inanem (inquit) pronuntio, ut quæ nec tollat difficultatem, nec vero fundamento nitatur. Non tollit difficultatem : quum enim sic argumentamur « neque necesse esse contingere quæ providentur, sed necesse esse quæ futura sunt provideri (1), » futura primum, quæ Deus prænoscit, ponimus ; deinde de Providentia, qua percipiuntur, facimus mentionem. Sed id, inquit, quorsum pertineat, exspecto. Num ideo ostenditur futura et Providentiam necessario vinculo non conjungi ? Minime. Igitur donec ista necessitas manebit immota, jaçebit omnis libertas : « Si idcirco quoniam futura sunt, providentur ; non vero ideo, quoniam providentur, eveniunt ; nihilo minus tamen a Deo vel ventura provideri, vel provisa evenire necesse est : quod ad perimendam arbitrii libertatem solum satis est (2). »

At non solum modus ille providentiam futurorum explicandi non absolvit quæstionem, sed falso etiam fundamento nititur. Velle enim res, antequam eveniant, propterea a Deo cognosci quia futuræ sint, quid est aliud nisi fingere hominum facta causam esse æternæ et perfectæ, qua Deus complectitur omnia, scientiæ ? nisi asserere divinam cognitionem ita a rebus humanis pendere ut, istis rebus quæ tam infimæ sunt et viles sublatis, nulla possit esse Dei scientia, nulla Providentia ? Quo quid deterius, quid absurdius (3).

Difficillimum esse quod sibi tractandum proposuit, postquam satis ostendit superque, brevissime Boetius indicat quot et quam prava, destructa hominum libertate, consequantur : « Quo semel recepto, quantus humanarum rerum occasus consequatur liquet (4). » Libertas humana perit, sed omnia simul corruunt. Vitiorum emendatricem legem, commendatricemque virtutum funditus aboleri videmus : quum enim recte aut prave agere

(1) Consolat. Philos., lib. V, pros. 3, col. 839.
(2) Ibid., lib. V, pros. 3, col. 840.
(3) Ibid., lib. V, pros. 3, col. 840.
(4) Ibid., lib. V, pros. 3, col. 841.

non jam sit in potestate nostra (nam scimus neque aliquid esse justum, nisi voluntarium; neque peccare quemquam, nisi assensione), nullum est vitium, nulla virtus : « Nec vitia igitur, nec virtutes quidquam fuerint, sed omnium meritorum potius mista atque indiscreta confusio (1). » Quin etiam scelera quibus humanum genus quotidie fœdatur, flagitia quibus polluitur, concludendum est a Deo ipso produci, a Deo solo juberi, qui nusquam bonos invenit quos remuneret, nusquam improbos quos puniat : libera enim voluntate e terris remota, summam iniquitatem admitteret Deus si vel homines qui colunt virtutem augeret præmiis, vel qui virtutem minimi faciunt contemnuntque, pœna afficeret : « Idque omnium videbitur iniquissimum, quod nunc æquissimum judicatur, vel puniri improbos, vel remunerari probos (2). »

At non solum una cum libertate nostra supprimitur lex divina humanaque ; non solum auferuntur e medio virtus virtutisque mercedes, vitium suppliciaque quibus vitium plectendum est ; omnia etiam aboleri debent quibus cum Deo credimus conjungi homines. Abeat pietas, tollatur religio, spes evanescat, taceant preces ! Cuncta jam rata sunt et fixa ; cuncta vi coguntur immutabili ; cuncta ineluctabili fatorum necessitate devinciuntur : insanus ergo esset ac stultus qui arbitraretur aliquid sibi sperandum, qui votis inanibus, quæ Deus exaudire nec vellet, nec posset, cœlum rursus sollicitaret atque obtestaretur : « Igitur nec sperandi aliquid, nec deprecandi ulla ratio est (3). » Itaque a Numine supremo, cujus benignitate corporis sui vitam, mentis suæ lumen accipiebat, genus humanum separatur, divellitur, abstrahitur, et tandem deploranda sorte oppressum, nesciens jam quid auxilii imploret, quo tristes suos oculos vertat, præcipiti gradu ruit in ruinam : « Quare necesse erit humanum

(1) Consolat. Philos., lib. V, pros. 3, col. 842.
(2) Ibid., lib. V, pros. 3, col. 842.
(3) Ibid., lib. V, pros. 3, col. 842.

genus, uti paulo ante cantabas, dissceptum atque disjunctum suo fonte fatiscere (1). »

§ II.

Duplex fuit a Philosophia totum hunc locum perpurgandi excogitata ratio : quarum una, numeris quidem et modis ornata, sed expressa tam concisis verbis ut eam, ne nos fugiat, latius exponamus necesse sit, instituitur ea prudentia quam, in capite superiore, ubi agebatur de prosperitatibus improborum, laudavimus : nobis nempe, prætermissis rei ambagibus, revocat in memoriam quid de Providentia divina, quid de humana libertate credere debeamus.

Duo sunt, inquit, habenda pro certissimis, et extra omnem controversiam ponenda : primum nihil ex omnibus, quæ futura sunt, latere Deum; deinde homines libera voluntate frui. Quod si, propter nostræ mentis imbecillitatem, non possumus perspicere quomodo duo hæc minime pugnent inter se, quomodo ex omni parte secum ipsa consentiant, licet quidem lamentari nos tam infirma, tam hebeti, tam obtusa mente deprimi, sed quod clare intelligimus esse verum, id rejicere, id, ne qua difficultate intricemur, negare, prorsus absurdum est et recti judicii legibus contrarium :

« .... Quis tanta Deus
Veris statuit bella duobus,
Ut, quæ carptim singula constant,
Eadem nolint mista jugari ?
An nulla est discordia veris,
Semperque sibi certa cohærent ?
Sed mens cæcis obruta membris
Nequit oppressi luminis igne
Rerum tenues noscere nexus (2). »

(1) Consolat. Philos., lib. V, pros. 3, col. 842.
(2) Ibid., lib. V, metr. 3.

Ergo his sapientibus verbis monemur ut caveamus, ne rerum tenebris decepti, hæreamus in ambiguo et prave aut de Providentia, aut de nostra libertate sentiamus. Sed non satis est divinam scientiam, liberamque hominum voluntatem in tuto ponere : peritum, doctumque philosophum decet ulterius, si potest, progredi et *tenues rerum nexus* pro viribus suis solvere. Itaque Philosophia obscuram hanc, quæ fuit « tibi ipsi, inquit, diu prorsus multumque quæsita, sed haudquaquam ab ullo vestrum hactenus satis diligenter ac firmiter expedita (1), » quæstionem illustrare enititur et rationibus antea inauditis explicare.

Philosophiæ autem summa cura libertatem humanam, admirabilemque, qua Deus futura prænoscit, cognitionem examinanti, visum est qui, qua ratione Deus quod futurum sit cognoscat penitus scrutaretur, eum esse detecturum ubi jaceat difficultatis nodus ; quo vinculo sint, quæ immerito sibi adversari arbitramur, conjungenda (2).

Quid sit præsensio, inquit, et scientia rerum futurarum, nescimus : quod quidem si valeremus intelligere et clara certaque notione complecti, statim labori nostro imponeretur finis (3).

Qua enim de re oritur controversia? Divinam præsagitionem quidam fingunt liberæ hominum voluntati contrariam : quos igitur in sua divinæ præsagitionis opinione labi ostendamus ; et philosophos ex parte secuti, quorum Boetius modo fecit mentionem, qui quidem, quamvis quo tendebant non potuerint pervenire, recta saltem via procedebant, probemus hanc, qua Deus fruitur, futurorum scientiam esse eam quæ nos liberos esse sinat (4).

Cujus autem naturæ, cujus generis esse divinam scientiam oportet, ne tollat nostram libertatem ?

(1) Consolat. Philos., lib. V, pros. 4.
(2) Ibid., lib. V, pros. 4, col. 847.
(3) Ibid., lib. V, pros. 4, col. 847.
(4) Ibid., lib. V, pros. 4, col. 847.

Primum Philosophia aliquid, dignum sane quod notetur a sagaci diligentique homine, indicat, res, quæ ante oculos nostros aguntur, minime idcirco libertatem suam, si libertate fruerentur, amittere, minime necessitate cogi : « Plura etenim, dum fiunt, subjecta oculis intuemur : ut ea quæ in quadrigis moderandis atque flectendis facere spectantur aurigæ : atque ad hunc modum cætera. Num igitur quidquam illorum ita fieri necessitas ulla compellit ? Minime (1). »

Ergo unum nobis, inquit, ostendendum est : futura a Deo ea ratione cognosci ut, quemadmodum rebus, quas contemplamur oculis nostris, nullam necessariam legem imponimus, ita exitus rerum, quos antequam eveniant perspicit, Deus non premat vi ineluctabili.

Non dubium est quin divina mens, quum omnino perfecta sit et nullis terminis circumscripta, quanto natura divina superat imbecillem hominum naturam, tanto nostræ infirmæ ac debili menti præstet. Negari igitur nequit res cunctas a Deo, non eodem quo nos utimur modo apprehendi, sed longe diverso et multo sublimiore. Itaque futura, ut a nobis perspiciuntur, ita tantum a Deo perspici velle, profecto stultum esset ac ridiculum : neque magis deridenda insania (liceat, qua argumentationem suam illustrat, comparationem proferre), laborarent sensus si, quoniam nihil nobis monstrant nisi quæ cerni tangive possunt, jam quæ nec cernuntur nec tanguntur sed intelliguntur modo, ea quominus comprehendantur mente repugnarent (2).

Quis autem veram divinæ scientiæ speciem sibi effingat ?

Me toto ingenii acumine, inquit Philosophia, in quo divina scientia consistat perquirentem, movet illud vehementer quod Deus est æternus. Æternum vero Deum quum affirmo, quid volo significare ? Quid est æternitas ? « *Æternitas est intermi-*

(1) Consolat. Philos., lib. V, pros. 4, col. 843.
(2) Ibid., lib. V, pros. 5.

nabilis vitæ tota simul et perfecta possessio (1). » Quibus quidem verbis significatur vitam Dei, non dico tantum neque initium habuisse, neque finem unquam habituram, sed eam quoque, quæ esse nunquam incepit, nunquam desinet, *totam simul* (quod rei caput est), a Deo absolute et complete possideri.

Quod si autem vitam suam Deus ita totam simul possidet, ut non sit ulli temporis divisioni aut mensuræ obnoxia, non jam dubitandi locus est quin nihil Deo videatur præteritum, nihil futurum; sed contra, quæ fuerunt, quæ sunt, quæ erunt, ea omnia æternus ille rerum Parens semper præsenti tempore complectatur. Ex quo sequitur evidenter Deum nihil præsentire in posterum, sed omnia simul sibi præsentia cernere; nihil *prævidere*, sed omnia *videre* : « Itaque si præsentiam pensare velis, qua cuncta dignoscit, non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instantiæ rectius æstimabis. Unde non Prævidentia, sed Providentia potius dicitur, quod porro ab rebus infimis constituta, quasi ab excelso rerum cacumine cuncta prospiciat (2). »

At cognitione, qua Deus, quæ dicimus futura, percipit, eo modo intellecta, Philosophia concludit propositam de Providentia et libertate hominum quæstionem explanari, et, quæ nos gravabat, obscuritatem rerum evanescere. Aurigas, inquit, ostendimus libertate sua, quamvis oculos spectantium fugere nequeant, minime privari, atque arbitrio suo huc illud rapi. Nos vero quidquid agamus, quidquid faciamus, id ante oculos Dei facimus agimusque. Futuræ res nostræ in conspectu Dei sunt; quæ cras nobis evenient, ea hodie Deus intuetur. Ergo cur aliquam libertatis suæ partem, propter eam causam quod cernuntur a Deo, amitterent (3) ?

Quid plura? « Manet intemerata mortalibus libertas, nec ini-

(1) Consolat. Philos., pros. 6, col. 858.
(2) Ibid., lib. V, pros. 6, col. 860.
(3) Ibid., pros. 6, col. 860, 861.

quæ leges, solutis omni necessitate voluntatibus, præmia pœnasque proponunt. Manet etiam spectator desuper cunctorum præscius Deus, visionisque ejus præsens semper æternitas cum nostrorum actuum futura qualitate concurrit, bonis præmia, malis supplicia dispensans. Nec frustra sunt in Deo positæ spes precesque : quæ quum rectæ sunt, inefficaces esse non possunt. Aversamini igitur vitia, colite virtutes, ad rectas spes animum sublevate, humiles preces in excelsa porrigite. Magna vobis est, si dissimulare non vultis, necessitas indicta probitatis, quum ante oculos agitis Judicis cuncta cernentis (1). »

Gravissimis iis, quas fingit a Philosophia pronuntiari, vocibus, toti operi suo Boetius imponit finem. Providentiam divinam ostendit neque miseriis hominum, neque improborum prosperitatibus tolli, neque nostræ voluntati liberæ esse contrariam ; et subito, præter legentium opinionem qui cuperent vel omnem hanc de Providentia quæstionem breviter complecti, vel quid solatii in dolore suo Boetius ex tot egregiis sententiis ipse perceperit audire, ultimum illum suæ Consolationis librum absolvit, neque ullum amplius verbum addere utile esse arbitratur.

(1) Consolat. Philos., lib. V, pros. 6, col. 862.

PARS SECUNDA.

Quæ sit Boetii de Providentia doctrina exposuimus.

Utrum ea sana et recte instituta et firmis rationibus confirmata, jam nobis est dijudicandum. Quæstiones vero in priore parte prolatas rursum examinaturi, satius esse censemus singulas singulis capitibus perpendere.

CAPUT PRIMUM.

Quid sentiendum de ea Boetii argumentatione, qua probat Providentiam non tolli generis humani miseriis.

Multa Boetius Providentiam misera hominum sorte non tolli ostensurus proponit, quæ si considerantur attente cogunturque in unum, ad id, quod totius argumentationis caput est, tendunt ut probetur nullius momenti esse hominum miserias. Quod autem quo firmioribus rationibus fulciat, Boetius primum indicat breviter pauciores esse numero quas patimur adversas res, quam ut cum rebus, quæ nobis prospere cedunt, conferantur;

deinde bona ostendit, quibus privamur, opes, divitias, honores, aliaque ejusmodi, non ea esse quæ cupere debeamus; tum ultimum quo tendimus finem, felicitatem supremam quam appetimus, minime a nobis, bonis istiusmodi amissis, fugere, sed contra facilius obtineri doctissime confirmat, et splendidis verbis auget.

Hæc vero argumenta qui expenderit, facile intellexerit multum abesse ut omnia eamdem vim et auctoritatem habeant; quorum enim alia vix fomenta videntur præbere quibus dolor leniri possit; alia autem Providentiam optime ponunt in tuto, atque omnem querendi locum auferunt.

Inter eas minoris momenti rationes, quibus non satis res absolvitur, et quæ, quasi dolorum fomenta, hominem malis obrutum non solantur nisi leviter, annumeranda esse censeo quæ Philosophia disserit, ut ostendat calamitates, quas lamentamur, non nobis tantum, sed omnibus hominibus accidere (1); quin etiam pauciores esse numero quam ut prosperitates nostras superent (2): quam quidem argumentationem videmus fuisse ab ipso M. Tullio laudatam: « Possunt hæc, inquit, quadam ratione dici, non modo non repugnantibus, verum etiam approbantibus nobis..... Neque enim tempus est ullum quo non plus habeat (sapiens) voluptatum quam dolorum..... Dolores autem si qui incurrunt, nunquam vim tantam habent, ut non plus habeat sapiens quod gaudeat, quam quod angatur (3). »

In his omnibus aliquid recti inesse negare nolim. Num ergo ea sunt quæ me acerbissima fortuna pressum omnino reficere queant? Non credo equidem. — Nihil fero, inquis, nisi quæ et tulerunt et ferunt alii. Non inficias eo; sed minime prohibent aliorum casus quominus ego ipse dura patiar. — Nonne vero quanta et quam jucunda acceperim, grate meminisse debeam?

(1) Consolat. Philos., lib. II, pros. 2.
(2) Ibid., pros. 3, pros. 4.
(3) Cicero, de Finibus, I, 19.

Profecto si bonorum, quæ mihi Deus benigne largitus est, sum immemor, in culpa sum. At etiamsi verum esset me de mea fortuna plus æquo queri, num sequeretur nullum esse mihi querendi locum? Multum igitur abest ut istiusmodi argumenta rem exsolvant. Non negandum quidem nos, quum vitam a Deo accepimus, munere vere magnifico fuisse donatos; sed cur munus illud tot adversis vitietur, quæ modo protulimus non explicant. Itaque eam disserendi rationem confessus aliquid conferre ad nostros dolores levandos, et, ut verbis Boetii utar, si non *morbi remedia*, at saltem *fomenta* præbere (1), libentissime M. Tullio assentiam concludenti : « neque tamen genus id orationis in consolando non valet, sed id haud sciam an plurimum (2). »

Mox quæ sint male nostra Boetius cura diligentiore inquirit; et longo sermone instituto ut probetur bona quibus, quum agitamur misera sorte, caremus, tam infima esse, tam caduca, tam vilia ut, amissis istiusmodi commodis, nemo dolere debeat, pro certo et rato ponit hujus vitæ mala minimi, quin etiam nullius pretii esse habenda (3). Philosophos igitur veteres prorsus imitatus, non dubitare videtur quin sit « in consolationibus prima medicina, docere aut nullum malum esse, aut admodum parvum (4). »

Malum quidem omnino non esse docere, ut ex iis verbis concludatur nullum existere dolorem, nunquam pati homines, quid falsius, quid absurdius? Sed illud non fuit a Boetio significatum.

Docere autem haud magni momenti ducenda esse nostra mala, quippe quæ nihil a nobis auferant nisi bona perexigua minutaque, id non abest a vero, dummodo, ne fines recto judicio præscriptos prætergrediamur, sanam Tullii sententiam

(1) Consolat. Philos., lib. II, pros. 3.
(2) Tusculan., III, 23.
(3) Consolat. Philos., lib. II, pros. 5-8, metr. 5-7.
(4) Tusculan., III, 32.

observemus : « Hæc, ut vere dicitur parva esse ad beate vivendum momenta ista corporis commodorum, sic nimis violentum esset, nulla esse dicere (1). »

In omnibus autem hujus generis argumentis minorem auctoritatem inesse quam ut dolores hominum penitus sedentur ac tollantur, quis non videt? Exaggerari quidem a nobis Deum incusantibus nostras miserias monstrant ; sed neque ostendunt nos istis miseriis non vexari, neque propter quam causam dure cruciemur detegunt.

Cæterum, quum probat homines diversis fortunæ bonis cumulatos nec felicitate quam expetebant gaudere, nec sollicitudinibus et curis esse immunes, Boetius longum suum sermonem præclarissimis sententiis ornat, quas e veterum philosophorum, qui multa de iis rebus disseruerant, libris desumit atque exquisito judicio seligit. Nam, ut de philosophiæ Græcorum parente ac magistro loquar, a Platone docemur unum eumdemque omnium hominum esse Conditorem, Deum, ideoque quum omnes e divino illo fonte genus suum pariter ducant, vanam omnino et ridiculam esse eorum superbiam, qui se clarissimis majoribus, amplissimoque loco ortos gloriantur (2). Sed idem prorsus exprimitur hoc venustissimo Boetii carmine :

« Omne hominum genus in terris
Simili surgit ab ortu :
Unus enim rerum pater est.
. . . .
Mortales igitur cunctos
Edit nobile germen.
Quid genus et proavos strepitis ?
Si primordia vestra
Auctoremque Deum spectes,
Nullus degener exstat,

(1) De Finibus, V, 24.
(2) Cf. Théétèt., Est., I, 173, c. — Timæum, Est., III, 37 sq.

Ni vitiis pejora fovens
Proprium deserat ortum (1). »

Quam acribus vehementibusque verbis Plato in nono περὶ τῆς Πολιτείας libro tyrannos persequatur, Boetius mente recogitabat, quum ipse in Neronem acerbissimis versibus inveheretur :

« Novimus quantas dederit ruinas
Urbe flammata, Patribusquæ cæsis,
Fratre qui quondam ferus interempto,
Matris effuso maduit cruore ;
Corpus et visu gelidum pererrans,
Ora non tinxit lacrymis, sed esse
Censor exstincti potuit decoris (2). »

Elegantissime significat fugiendas esse voluptates :

« Habet omnis hoc voluptas
Stimulis agit fruentes,
Apiumque par volantum,
Ubi grata mella fudit,
Fugit, et nimis tenaci
Ferit icta corda morsu (3). »

At seu librum qui inscribitur Philebus, seu de Republica nonum, seu quartum de Legibus, seu sexcentos alios Platonis locos legebat, ubique purissima doctrina imbuebatur, ubique voluptates discebat « illecebras esse atque escas malorum (4). »

Ditissimam autem Academicarum disciplinarum segetem, quum de vitæ bonis dissereret Boetius, non solum in Platonis ipsius sed etiam in celeberrimorum Platonis discipulorum liben-

(1) Consolat. Philos., lib. III, metr. 6.
(2) Ibid., lib. II, metr. 6. — Cf. Republ., IX, Est., p. 573.
(3) Ibid., lib. III, metr. 7.
(4) Cicer., Fragment., 23. (Nisard, p. 619. — Cf. Phileb. Est., II, p. 61; Republ., IX, p. 588; Legib., IV, p. 726.

ter videtur collegisse. M. enim Tullium qui omnem operam dederat « ut nullus philosophiæ locus esset qui non latinis litteris illustratus pateret (1), » tam magni faciebat, ut præstantissimas Tullii sententias non dubitaverit in Consolatione sua proferre. Si enim (liceat proponere exemplum) hanc Consolationis nostræ partem consideraverimus, ubi ostenditur quam brevis sit gloria humana, quam arctis finibus contenta, profecto egregium sexti de Republica libri locum rursus legere arbitrabimur, in quo M. Tullius Scipionem quæ viderit in somnis narrantem inducit : eadem est rerum series, verba sunt fere eadem : nihil aliud Boetius explicat nisi hanc Scipionis de fama sententiam : « Sermo autem omnis ille et angustiis cingitur, iis regionum quas vides, nec unquam de ullo perennis fuit, et obruitur hominum interitu, et oblivione posteritatis exstinguitur (2). ».

At, quanquam multa ex Academicis disciplinis, quæstionem de bonis vitæ tractandi causa, Boetius desumit, multo plura videtur ex austeris Stoicorum doctrinis haurire. Nec mirum profecto. Stoici enim tam gravia, et sublimia, et digna sane quæ fortes generososque animos ad virtutem incitent excogitaverant, ut non potuerit magnus ille vir non vehementer his moveri. Itaque Senecam, clarissimum Stoicum, sæpe imitatur; Senecæ sententias facit suas, ejusque verbis haud semel utitur : lege, si placet, septuagesimam sextam ad Lucilium epistolam, quæ fere omnem Stoicorum de moribus doctrinam complectitur breviter. Boetius propter hanc causam vitæ bona minimi pretii esse facienda probare enititur, quod ista commoda, quum nec hominem a quo possidentur, meliorem faciant, nec qui istis caret inde pejor fiat, non ea sint, quibus obtentis, nos optimi omnium æstimatione, et dignissimi omni fortuna optima judicemur (3).

(1) Cicer., de Divinat., II, 1.
(2) Cicer., de Republ., VI, 18; cf. ibid., 14-17; Consolat. Philos., lib. II, pros. 7, metr. 7; lib. III, pros. 6.
(3) Consolat. Philos., lib. II, pros. 6; lib. III, pros. 4.

Quorsum vero spectant illa Senecæ? « Si quis omnia alia habeat, valetudinem, divitias, imagines multas, frequens atrium, sed malus ex confesso sit, improbabis illum. Item, si quis nihil quidem illorum, quæ retuli, habeat, deficiatur pecunia, clientum turba, nobilitate et avorum proavorumque serie, sed ex confesso bonus sit, probabis illum (1). »

Sed, ne longius de his protrahamus sermonem, illud præcipue notandum est, Boetium qui, in ea de bonis vitæ instituta disquisitione, pauca e fontibus propriis suis depromit, tanta veneratione veteres philosophos prosequi, ut nonnunquam impositos recto judicio fines prætergrediatur, et quibusdam veterum opinionibus faveat quas, credo equidem, si eas perpendisset diligentiore cura, vel non laudavisset tam aperte, vel etiam omnino rejecisset. Stoicorum enim haud semel vestigia plus æquo servat, nimiumque negligit illam publicam contra Stoicos vocem : « Nimis magna promittitis, nimis dura præcipitis (2). »

Nam non possum dubitare quin in tot tamque pulchris, quibus ad corporis bona contemnenda Boetius nos incitat, sententiis, quædam auctoritate modum excedente præscribantur. Firmis quidem rationibus Boetius ostendit hominem, quamvis bona ista possidentem, multis carere, multis egere. Qui autem bonis istis privatur, nonne pluribus, quæso, eget; nonne pluribus caret? — Istiusmodi bona, inquis, non quæ promittere videntur, præbent (3). Non omnia præbent, fateor, quæ promittebant; præbent tamen non pauca; imo, quod quidem Socrates apud Platonem rectissime monstrat, non raro fit ut ex iis vitæ bonis maximæ utilitates percipiantur (4).

(1) Senec., Epist. 76 (Nisard, p. 678). — Cf. Epist. 9, 17, 18, 108, 119, 74; de Tranquillit. Animi, VIII, sq. XI....; Constant., Sapient., V.

(2) Senec., Epist. 116 (Nisard, p. 841).

(3) Consolat. Philos., lib. III, pros. 8.

(4) Gorgias, 81.

At non solum quæ Boetius concludit, modum aliquando excedunt, sed etiam quæ, ut sic concludat, ponit primum, ea nonnunquam nec satis firma sunt, nec satis vero consentanea. Opes, divitias, honores, famam nullius esse pretii quo abundantius probet, in hoc argumentatur quod ista fortunæ commoda tum obtinentur sæpe ab improbis, tum homines, a quibus possidentur, non efficiunt meliores : « In qua (fortuna), inquit, nihil expetendum, nihil nativæ bonitatis inesse manifestum est, quæ nec se bonis semper adjungit, et bonos, quibus fuerit adjuncta, non efficit (1). » Sed quis hoc Boetio dabit ? Stoici quidem « quod contemptissimo cuique contingere ac turpissimo potest, bonum non esse (2) » affirmant. Quid autem fingi queat inanius ? Num lucem, quæ in terras sole diffunditur, dicemus, propterea quia probos atque improbos pariter illuminat, nihil boni habere, nihil utilis ? — Illud etiam « quod bonum est, bonos facit, » quid significat ? Laudatur a Socrate (3), approbatur a Seneca, imo defenditur acriter (4). Sed quo vitio laboret, nemo non videt. Ea enim Socratis, quæ Boetium juvant, « musica quidem musicos, medicina medicos, rhetorica rhetoricos facit, » si admissa fuerint, mox non dubium erit quin *justitia justos* faciat. At quam captiose excogitantur istiusmodi clausulæ ! — « Qui justa didicit, justus est, inquit Socrates, ὁ τὰ δίκαια μεμαθηκώς, δίκαιός (ἐστι). » Rectius concluderetur qui justa didicit, eum *justa scire*. Senecam audio querentem quod Peripatetici bonos bono effici negare audeant. Ego vero Peripateticis prorsus assentior; libenterque Stoicos allocutus exclamo : « Falsum quod proponitis (5). »

Ex omnibus a Boetio propositis quæ gravissima est ratio, quæ

(1) Consolat. Philos., lib. II, pros. 6.
(2) Senec., Epist. 87 (Nisard, p. 723).
(3) Gorgias.
(4) Senec., loco citato.
(5) Senec., Epist. 87 (Nisard, p. 722, 723).

vere summam auctoritatem habet ut miseriis hominum non tolli Providentiam fateri cogat, eam affirmavimus esse qua ostenditur homines hujus vitæ miseriis minime impediri quominus ad ultimum quo tendunt finem perveniant, et supremam quam cupiunt felicitatem consequantur; imo tantum abesse ut homines duris asperisque vexati felicitatem hanc supremam amittant, ut contra quo miseriorem in terris vitam agunt, eo magnificentiorem in cœlo remunerationem obtineant.

Etenim quid firmius ad probandum? Si pro certo et fixo positum erit nos ad Deum, quem tanquam finem vere ultimum debemus appetere, calamitatibus vitæ et doloribus duci trahique, nedum divellamur ab eo, nonne erit perspicuum nobis, quoties hujusmodi malis tentamur, non solum non esse ullum Deum incusandi locum, sed contra cur Deo debitas grates agamus, causam afferri justissimam?

Boetius non solum apertissime declarat Deum esse supremum finem ad quem nati sumus, sed docet etiam nos, quum adversis exercemur, securius quam quum prosperis cumulamur, progredi ad Deum : « Plus hominibus, inquit, reor adversam quam prosperam prodesse fortunam (1). » Hæc autem pars argumentationis a Boetio institutæ, quæ, ut intelligatur qua auctoritate sit et quo pondere, lata et splendida amplificatione indiget, mihi videtur concisa nimis brevitate absolvi. Luce clariorem effici velim eam tanti momenti rem, miserias hujus vitæ esse tanquam viam qua ad Deum rectissime itur ac tutissime; at Boetius, etsi summum bonum in Deo situm esse omni verborum copia ostendit, vix paucissima addit ex quibus colligi licet nos duris, quæ patimur, ad Deum usque perduci. Affirmat prosperam quidem fortunam *mentiri, fallere, mendacium specie bonorum mentes fruentium ligare;* adversam autem esse *veram, instruere, cognitione fragilis felicitatis absolvere* (2) :

(1) Consolat. Philos., lib. II, pros. 8.
(2) Ibid., lib. II, pros. 8.

« Itaque, inquit, illam videas ventosam, fluentem, suique semper ignaram; hanc sobriam, succinctamque et ipsius adversitatis exercitatione prudentem (1). » Sed omnia ista quomodo nos ad Deum calamitatibus pelli probant? Quæ sequuntur meliora esse duco : « Postremo felix (fortuna) a vero bono devios blanditiis trahit, adversa plerumque ad vera bona reduces unco retrahit (2). » Pulchra hæc et firma, credo equidem, sed quam stricta, ut tam gravem quæstionem perficiant! Multa tamen recta ratione docemur, multa a sapientissimis viris accipimus quæ, si Boetius ea revocasset in memoriam, non mediocrem vim demonstrationi attulissent. Corporis enim commoda (quis id neget?) quanquam infima, viliaque, nescio quid suavis præ se ferunt, atque ita alliciunt nos ut, fatente M. Tullio, « blanditiis correpti, quæ natura bona sunt, quia dulcedine hac et scabie carent, non cernamus satis (3). » Itaque qui opibus, divitiis, voluptatibus affluunt, quum fallacibus quibus fruuntur deliciis capti, de sublimibus cœlestibusque vix cogitare possint, plerumque se ad majora esse natos immemores, terrena tantum expetunt, æternam a Deo sancitam legem minimi faciunt, impudenter violant et, nisi Deus adversis durisque insanas eorum mentes corrigat, mox omni improbitate, omni spurcitia contaminantur et corrumpuntur. « Ego quidem, inquit S. Augustinus, quum amatores sæculi hujus intueor, nescio quando possit esse ad eorum animos sanandos opportuna sapientia : quando enim res velut prosperas habent, fastu respuunt salubres monitus, et quasi anilem reputant cantilenam : quando autem in adversis agunt, magis cogitant evadere unde ad præsens anguntur, quam capere unde curentur et unde perveniant ubi angi omnino non possint. Aliquando tamen quidam cordis aures admovent, atque adhibent veritati, *rarius inter prospera, crebrius inter ad-*

(1) Consolat. Philos., lib. II, pros. 8.
(2) Ibid., lib. II; pros. 8.
(3) Ciceron., de Legibus, I, 17.

versa (1). » Neque illud præstantissimum Græciæ philosophum fugerat : « Arduum est, o Callicles, inquit Socrates, ingentique laude dignum, si quis in magna peccandi licentia constitutus, justam transigat vitam : pauci vero tales reperiuntur....; plerique autem, o vir optime, potentium improbi sunt (2). »

Cæterum quæ Boetius hic proponit, non solum luculenta, quam res exigebat, explicatione carent, sed etiam vix ullam vim habent nisi extra controversiam ponitur futuram esse vitam, in qua laborum, quos constanti generosoque animo tulerimus, magnificum præmium accipiemus. At quanquam haud semel immortalem esse animum profitetur, nunquam censet utile revocare in memoriam quæ sublimior vita nos mortali vita functos maneat. Quantum autem sit istud, quo Boetii argumentatio laborat, vitium; e quibus etiam fontibus defluat, mox perpendemus ubi, quid de prosperitatibus improborum (quo in loco vitium illud magis ac magis fit perspicuum), Boetius disserat, enitemur dijudicare.

Sed jam in illa, quam de summo bono Boetius instituit, explanatione, aliud mihi videtur reprehendendum.

Boetio enim summum bonum esse ultimum, quem appetimus, finem confirmaturo, ostendendum erat tum existere summum bonum, tum homines ad id summum bonum possidendum esse natos: quorum vero aliud conficit rectissime, aliud omnino negligit.

Existere summum bonum probat Boetius argumentum illud proponendo, a nobis in priore parte laudatum, quo quidem aliquid esse perfectum ex eo concludit quod aliquid imperfectum est : « Perfectione sublata, inquit, unde illud quod imperfectum perhibetur, exstiterit, ne fingi quidem potest (3). » Quæ profecto non a celeberrima argumentandi ratione discrepant, qua,

(1) Augustin., Epist. 203.
(2) Gorgias, 81.
(3) Consolat. Philos., lib. III, pros. 10.

quo firmius Deum esse monstrarent, clarissimi philosophi usi sunt. Jam docuerat Plotinus, quum existant quæ a se ipsis vitam non acceperunt animantia, idcirco credendum aliquem esse qui a rerum principio existebat (1). Idem declaraverat Proclus : « Omnis finita potestas, inquit, ab infinita potestate manans subsistit (2). » Plato etiam et Aristoteles multo ante significaverant quæ finita sunt et imperfecta non posse suam vitam nisi a Conditore infinito perfectoque ducere (3). Non dubium est igitur quin Boetius, qui tum Platonis et Aristotelis, tum Alexandrinorum philosophorum libris diligentissime studuerat, hæc omnia mente recogitaverit et, quum proposuit laudatum a nobis argumentum, non aliquid novi atque inauditi voluerit afferre.

At non satis est ostendere summum bonum existere, summum bonum non esse vanam tantum, inanemque speciem. Non enim propterea quia existit summum bonum, sequitur nos summo bono esse certissime fruituros : ergo est etiam probandum homines ea esse conditione ut, benignitate divina, bonum illud sint tandem consecuturi. Indicat Boetius natura inesse omnibus omnium hominum mentibus insatiabilem veri boni cupiditatem, qua incitati atque impulsi, alii aliis quidem viis procedunt, sed omnes bonum illud continuo prosequuntur (4). Rem ita se habere fateor; at quomodo concludendum hæc, qua incenditur mens nostra, boni cupiditas necesse esse expleatur? Docuerunt clarissimi philosophi, et omni quidem jure, nullo pacto fieri posse ut, quod in animo nostro penitus affixum atque insitum est, nos injiciat in errorem; propter hanc causam quod, quum, quæ natura nobis insunt, ab ipso Deo naturæ conditore fuerint deposita, « naturam optimam ducem tanquam Deum sequamur, eique pareamus (5). » Igitur ut totus ille locus absolveretur,

(1) Cf. Plotin., Ennead., IV, lib. VII, n. 9.
(2) Proclus, Instit. Theolog., XCI.
(3) Metaphys., lib. XIV, cap. VII, 5.
(4) Consolat. Philos., lib. III, pros. 2.
(5) De Senectute, 2; — de Legibus, I, 6; — in Pisonem, 15.

debebat Boetius ponere in conspectu nos minime natura nostra deludi, qua cogimur habere pro certissimo nos ad summum bonum esse natos.

Quanquam autem quæ de summo bono Boetius disserit, aliquo vitio laborant, pleraque tamen rectissime institui et sano judicio defendi fatendum est. Quis enim unquam lucidius clariusque, omnibus verborum ambagibus omissis, Deum esse summum bonum significavit? « Deum, inquit, rerum omnium principem, bonum esse, communis humanorum conceptio probat animorum. Nam quum nihil Deo melius exogitari queat, id, quo melius nihil est, bonum esse quis dubitet? Ita vero bonum esse Deum ratio demonstrat, ut perfectum quoque in eo bonum esse convincat. Nam ni tale sit, rerum omnium princeps esse non poterit; erit enim eo præstantius aliquid, perfectum possidens bonum, quod hoc prius atque antiquius esse videatur: omnia namque perfecta minus integris priora esse claruerunt. Quare ne in infinitum ratio prodeat, confitendum est summum Deum, summi perfectique boni esse plenissimum..... Secure igitur concludere licet, Dei quoque in ipso bono, nec usquam alio, sitam esse substantiam (1). »

At tantum abest ut veteres philosophi, vel ingenio doctrinaque præstantissimi, verum de hac tanti momenti quæstione firme doceant, ut contra M. ipse Tullius, qui quinque libris eruditissime conscriptis, ut « quid a quoque et quid contra quemque philosophum diceretur intelligi posset (2), » totum de summo bono locum examinaverat, vix aliquid certi audeat affirmare (3).

Sed cur de Cicerone loquar? Quam controversa fuerit ea res et plena dissensionis inter doctissimos, ex his S. Augustin

(1) Consolat. Philos., lib. III, pros. 10. — Cf. lib. III, pros. 3; lib. III, pros. 11.

(2) Cicer., Divinat., II, 1.

(3) Cf. Tusculan., III, 21; V, 15, 16.... de Legibus, I, 13, 17 — 19, 21, 23.

verbis satis superque apparet : « Marcus Varro, inquit, in libro de Philosophia, tam multam dogmatum varietatem diligenter et subtiliter scrutatus animadvertit, ut ad ducentas octoginta octo sectas, non quæ jam essent, sed quæ esse possent, adhibens quasdam differentias, facillime perveniret (1). »

Quomodo igitur fieri potuit ut, quod summa et cardo rerum est (Lactantii verbis uti liceat) (2), quum Boetius examinaret, neque tot philosophos secutus fuerit qui, nescio quo casu delusi, « summum bonum non in summo quæsiverunt, sed in imo (3); » neque viam quæ ad verum ducit aggressus, in medio cursu gradum sistere visus sit, philosophosque fuerit imitatus « qui, aut pro summo bono *scientiam*, aut *virtutem* amplexi, tenuerunt quidem viam veritatis, sed non pervenerunt ad summum (4). »

Num, ut explicetur quare sanam optimamque de summo bono doctrinam Boetius proferat, credamus necesse est, quæ in Consolatione Philosophia reperiuntur, ea fuisse e Christianis fontibus hausta? Rem ita se habere fateri forsitan cogeremur, si Lactantio fidem faceremus asserenti « nullum philosophum exstitisse qui sedem ac domicilium summi boni reperiret (5). » Sed miror Lactantium, tam præclara eruditione virum, non fuisse memorem quæ Platonicis in libris legantur : « Ipsum verum ac summum bonum, inquit S. Augustinus, Plato dicit Deum (6). » Mihi vero quæ tum a Platone, tum a Boetio de summo bono disseruntur recogitanti, et consideranti non solum eamdem pro-

(1) Civit. Dei, lib. XIX, cap. I, n. 1. — Cf. de Finibus, lib. IV, 25; lib. V, n. 25. — Tusculan., V, 30. — Natur. Deor., I, 32, 40.

(2) Lactant., Instit. Divin., VII, 5.

(3) Instit. Divin., III, 12.

(4) Lactant., Instit. Divin., III, 12. — Cf. Cicer., de Finib., lib. V, 25; Tusculan., V, 11, 12, sq. 16, 30.

(5) Lactant., Instit., III, 11.

(6) Civitat. Dei, VIII, 8 ; cf. ibid., VIII, 5. — Cf. Platon., de Legibus, IV, p. 175, 183. — Republ., VII, p. 517, 532.

poni doctrinam, sed eadem esse argumenta, easdem rationes, sententias sæpe easdem, non dubium est quin Boetius, hanc quæstionem quum tractaret, pulcherrimas, quas Plato tradiderat, disciplinas omnino fecerit suas (1).

Ultima tamen res, de qua in Consolatione Philosophiæ nulla mentio fit, indicanda erat. Evidenter quidem colligitur Deum, quum nos in hac vita dure habitos et multis adversis tentatos sit suprema, quæ nos in cœlo manet, felicitate remuneraturus, nullo jure incusandum esse, neque, tanquam plus æquo severus esset, reprehendendum. Attamen quæri licet quare Deus non ita benigne generi humano consuluerit ut nos tum in hac vita, tum in futura beatos efficeret. Utrum id non potuerit, an noluerit? Nonne melius fuisset et convenientius nullam istiusmodi necessitatem hominibus imponi ut, nisi per hujus vitæ miserias progrederentur, non ad Deum pervenirent? Sacris nos edocentibus libris, scimus nos propter hanc causam in terris plecti, quod peccati a primo hominum parente admissi pœnas luamus. Illud autem, quamvis multis difficultatibus impeditum, maximisque obcuritatibus intricatum, indicari a Boetio velim : neque hanc doctrinam e Christianis doctrinis depromeret erat forsitan necesse. Hanc enim non pauci suspicantur ab antiquis philosophis toties obscurissime tradi, quoties (explicandi gratia cur humanum genus calamitatibus exerceatur), docent nos olim in cœlestibus meliori vita fruitos esse, quam quidem, nesciunt quo scelere, cujus nunc pendimus pœnas, miserabiliter amisimus : « Ex humanæ vitæ erroribus et ærumnis, inquit M. Tullius, fit ut interdum veteres illi sive vates, sive in sacris initiisque tradendis divinæ mentis interpretes, qui nos ob aliqua scelera suscepta in vita superiore, pœnarum luendarum causa natos esse dixerunt, aliquid vidisse videantur (2). »

(1) Cf. Consolat. Philos., lib. III, pros. 9; Phileb., IX, ssq.

(2) Cicer., Fragm. Hortens., 24. (Nisard, p. 619.—Cf. Fragm. Consolat.; Epist. ad Brutum, 15. — Cf. Hesiod., Theog., v. 510 ssq. 549 ssq. — Platon., Timæum, p. 107. — Clement. Alexand. Stromat., lib. III, p. 433.— S. August., Civit. Dei, XXII, cap. 22, 1.

CAPUT SECUNDUM.

Quæ de improborum prosperitatibus Boetius disserit, dijudicantur.

« Ea ipsa est, inquit Boetius, vel maxima nostri causa mœroris quod, quum rerum bonus rector existat, vel *esse omnino mala* possint, vel *impunita prætereant*. Quod solum quanta dignum est admiratione, profecto considera. At huic aliud majus adjungitur : nam *imperante florenteque nequitia,* virtus non solum præmiis caret, verum etiam sceleratorum pedibus subjecta calcatur, et in locum facinorum supplicia luit (1). »

Nobis igitur ea verba considerantibus, quibus quartus Consolationis nostræ liber incipitur, perspicuum fit triplicem de improborum prosperitatibus argumentandi modum fuisse a Boetio excogitatum : primum *mala esse,* tum *mala impunita præterire,* deinde *imperare florereque nequitiam.*

§ I.

Mala esse, aut ut aliis verbis utamur, existere peccata, scelera committi, patrari flagitia, nemo est qui non miretur vehementer. Deus enim, ut qui omni sanctitate perfectus sit, quidquid iniqui, quidquid injusti, quidquid mali odit, abhorret, exsecratur. Deo autem non defuisse facultatem et potentiam homines prohibendi

(1) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 1.

ne culpam, vel levissimam, admitterent, evidentissime apparet: nam satis erat nos tam recta voluntate instrui, tam bona prudentique mente donari, ut plane intelligeremus quam deforme et turpe sit malum, quam laudabile pulchrumque sit bonum; atque ideo tum vitium fugere, tum virtutem observare quasi cogeremur. Quamobrem non paucis ex philosophis veteribus Providentia videbatur « reprehendenda, quæ rationem dederit iis, quos scierit ea perverse et improbe usuros, » neque eam dederit « quæ vitia culpamque excluderet (1). » — « Si mens, inquit Cotta apud Tullium, voluntasque divina idcirco consuluit hominibus quod iis largita est rationem; iis solis consuluit, quos bona ratione donavit; quos videmus, si modo ulli sunt, esse perpaucos. Non placet autem paucis à Diis immortalibus esse consultum : sequitur ergo, ut nemini consultum sit (2). »

Boetius noster, verbis quæ citavimus, illud sibi tractandum suscipit quare Deus mala, quibus terræ corrumpuntur, cohibere noluerit et comprimere. Hanc autem arduam quæstionem non aggreditur adversa fronte, neque, quantum res exigeret, clara et ampla demonstratione explicat. Quid tamen sentiat, quomodo difficultatem solvi existimet, facile possumus intelligere, dummodo quosdam vel tertii vel quarti Consolationis nostræ libri locos perpendamus.

Malum nihil esse, Boetius docet. Legamus enim ultimum tertii libri caput : « Nihil est, inquit, quod *naturam servans,* Deo contraire videtur..... — Num igitur Deus facere malum potest ? Minime, inquam. — Malum igitur *nihil est,* quum id facere ille non possit, qui nihil non potest..... — Deum quoque, addit Boetius Philosophiam allocutus, bonitatis gubernaculis universitatem regere disputabas, volentiaque cuncta parere, *nec ullam mali esse naturam* (3). »

(1) Natura Deorum, III, 31.
(2) Ibid., III, 27.
(3) Consolat. Philos., lib. III, pros. 12.

Quid clarius significari velim ?

Tertium etiam quarti libri caput memoremus, ubi, quum in aperto ponere enititur quam lugenda sit, quæ improbis imminet, pœna, brevem argumentandi rationem instituit, qua concessa sequi rursus arbitratur *malum nihil esse, nec ullam mali esse naturam :*

« Omne namque quod sit, inquit, unum esse, ipsumque unum, bonum esse, paulo ante didicisti. Cui consequens est ut omne quod sit, id etiam bonum esse videatur. Hoc igitur modo, quidquid a bono deficit, esse desistit ; quo fit ut mali desinant esse quod fuerant (1). »

Jam dixerat in eodem capite tum *malos omnino esse desinere,* tum *malum nihil esse ;* imo quid iis sententiis exprimere vellet recte declaraverat : « An scientes volentesque (mali) bonum deserunt, ad vitia deflectuntur ? Sed hoc modo non solum potentes esse, sed *omnino esse desinunt.* Nam qui communem omnium quæ sunt, finem relinquunt, pariter quoque esse desistunt..... Qui mali sunt, eos malos esse non abnuo ; sed eosdem *esse pure atque simpliciter,* nego..... — Si, uti paulo ante collegimus, *malum nihil est,* quum mala tantummodo possint, nihil posse improbos liquet (2). »

Multa apud Platonicos inveniuntur, quæ ad hanc doctrinam a Boetio defensam spectant.

Plato enim multis in librorum suorum locis nihil aliud in malo videt, nisi voluntatis humanæ defectum et imbecillitatem, mentis morbum et corruptelam, aliaque istiusmodi, quæ eo semper tendunt ut demonstretur improbos bono privari, carere, egere. Recentiores autem Academici, ii præsertim qui Alexandriæ floruere, has a Platone acceptas disciplinas diligentissime observaverunt et magis ac magis amplificarunt. Plotinus longo

(1) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 3.

(2) Ibid., lib. IV, pros. 3.

sermone docet materiam (ὕλην) esse malum, ac propterea quia malum sit, *boni omnino esse expertem, boni esse privationem, purumque defectum :* « Ἄμοιρος γὰρ παντελῶς οὖσα ἀγαθοῦ, καὶ στέρησις τούτου, καὶ ἄκρατος ἔλλειψις (1). » — « Nihil igitur, inquit, est aliunde quærendum quasi malum ; sed qui malum in anima collocat, ita collocet, ut sit absentia boni : Οὐδὲν οὖν δεῖ ἄλλοθεν ζητεῖν τὸ κακὸν, ἀλλὰ θέμενον ἐν ψυχῇ οὕτω θέσθαι ἀπουσίαν ἀγαθοῦ εἶναι (2). »

Non pauca ejusmodi professi sunt doctores illi inter Christianos clarissimi, qui Platonem sunt omni honore prosecuti, atque ejus opiniones, quoties ab Evangelio non aberrabant, maxime laudaverunt (3). Testis mihi sit præ cæteris S. Augustinus ; testis et S. Gregorius Nyssenus, S. Basilii Cæsariensis frater, qui, ut scripta ejus declarant, semper habuit in ore Platonem. Sanctus enim Gregorius sexcentis librorum suorum locis ponit bonum quidem esse illud quod vere est, τὸ ὄντως ὄν, malum autem boni esse negationem : « Esse in peccato, inquit, non est proprie esse, quia ipsamet in se, secundum se malitia non est, quum malitia sit privatio, et non existentia boni. Quemadmodum igitur ille qui est in eo qui est, in esse est : sic qui in nihilo est (tale vero est malitia), is itidem nihil fit et annihilatur : Τὸ γὰρ ἐν κακίᾳ εἶναι, οὐκ ἔστι κυρίως εἶναι. Διότι αὐτὴ καθ'ἑαυτὴν ἡ κακία οὐκ ἔστιν, ἀλλ'ἡ τοῦ καλοῦ ἀνυπαρξία, κακία

(1) Ennead., I, lib. VIII, n. 4 (lin. 25). — Cf. ibid., n. 5.

(2) Ibid., n. 11. — Cf. Ennead., III, l. II, n. 5. — Plato, Sophista.

(3) Cf. Origen., t. II, in Joann., p. 175. — Athanas., contra Gentes, p. 5. — Gregor. Nyssen., de Anima et Resurr., p. 655; homil. 7, in Eccle., p. 447 ; de Catech., cap. 6. — Basil. Cæsar., contra Eunom., II, p. 57; in Hexaem. homil. II, p. 22; homil. Quod Deus non est auctor mali, p. 427. — Dionys., de Divin. Nomin., cap. IV. — Petavium, de Malo, ejusque natura..... (Dogmat., de Deo, VI, 4.)

γίνεται. Ὥσπερ οὖν ὁ ἐν τῷ ὄντι ὤν, ἐν τῷ εἶναί ἐστιν, οὕτως ὁ ἐν τῷ οὐδενὶ γενόμενος (τοῦτο δέ ἐστιν ἡ κακία) ἐξουδένωται (1). »

Nec minus apertis verbis S. Augustinus loquitur : « Mali, inquit, nulla natura est; sed amissio boni, mali nomen accepit (2). » Quam quidem doctrinam sæpissime prolatam explicat lucide, quum in duodecimo de Civitate Dei libro inquirit quomodo producatur mala voluntas : « Nemo igitur, inquit, quærat efficientem causam malæ voluntatis : non enim est *efficiens*, sed *deficiens*; quia nec illa *effectio* est, sed *defectio*. Deficere namque ab eo quod summe est, ad id quod minus est, hoc est incipere habere voluntatem malam. Causas porro defectionum istarum quum efficientes non sint, ut dixi, sed deficientes, velle invenire, tale est ac si quisquam velit videre tenebras, vel audire silentium (3). »

In iis, quæ tum a Boetio, tum a Platonicis defensa fuerunt, non pauca inveniuntur sana quidem et pulchra.

Quod si enim *absolutum*, ut scholastici vocant, malum consideramus, quis fingat malum aliquid esse quod per se stet, quod inter ea recensendum sit quæ, si non oculis ac manibus cerni possunt et tangi, at saltem, quanquam nec tanguntur, nec cernuntur, reapte tamen existunt ? Boetius igitur omni jure (dummodo de malo *absoluto* loquatur) affirmat malum nihil esse.

Quod si autem quæritur cujus generis sint bona, quæ, obtinendi causa, homines male agunt, Boetio rursus assentiamur declaranti istiusmodi bona esse tam infima, tam vilia ut minimi, imo *nullius* pretii sint nobis habenda. Improbi enim, quando se maculant peccatis, summum bonum amittunt, turpissima labe

(1) Gregor. Nyssen., in Psalmos, cap. VIII (Migne, col. 479, A. B.)

(2) Civit. Dei, lib. XI, cap. 9.

(3) Ibid., lib. XII, cap. 7. — Cf. Ibid., lib. XI, cap. 22; lib. XII, cap. 9. — Enchirid., ad Laurent., XI; contra Julian., I, 8, 9, etc.

inficiuntur, miserabiliter sejunguntur a Deo, sicque (quod S. Gregorius Nyssenus venuste amplificat, luce separantur et vita : « Eum autem qui est extra Deum, extra lucem esse necesse est, quoniam Deus est lux : quin etiam extra vitam et incorruptionem et quamcumque mentis conceptionem et rem, quæ quidem omnia est Deus. Qui enim non est in his, est omnino in contrariis. Eum itaque qui est ejus modi, excipiunt tenebræ et interitus et exitium et mors. Τὸν δὲ ἔξω τοῦ θεοῦ γενόμενον, ἔξω εἶναι τοῦ φωτὸς ἀνάγκη· διότι φῶς ὁ Θεός· ἔξω δὲ καὶ τῆς ζωῆς, καὶ τῆς ἀφθαρσίας, καὶ παντὸς τοῦ πρὸς τὸ κρεῖττον θεορουμένου νοήματός τε καὶ πράγματος· ἅπερ πάντα ὁ Θεός ἐστιν. Ὁ γὰρ ἐν τούτοις μὴ ὢν, ἐν τοῖς ἐναντίοις πάντως ἐστίν. Ὀυκοῦν ἐνδέχεται τὸν τοιοῦτον σκότος, καὶ διαφθορὰ, καὶ πανωλεθρία καὶ θάνατος (1). »

Mali igitur quum non sint in numero eorum ducendi qui ad sublimia nati, mentes suas dirigunt ad cœlestia, finem supremum petunt, Deum omni amore prosequuntur, jam non sunt digni qui habeantur homines, sed speciem tantum hominis præ se ferunt et vix proditoris istius sunt dissimiles, quem Alighierius fingit in infernas sedes demissum : cujus animus quidem æternis suppliciis cruciabatur inter impios ; corpus autem, nescio quo dæmone afflatum, vitam adhuc in terris agere videbatur (2). Itaque Boetium ejusmodi sententias profitentem probo, laudoque. Sancti etiam Patres recte (ita prorsus existimo), disserunt qui, nos ut fugiamus malum hortaturi vehementius, ostendunt ne *ullius* quidem momenti esse bona quæ, nisi supremum bonum derelinquendo, appetere non possumus.

Hæc autem omnia quid ad quæstionem pertinent ?

Inquirimus cur mala sint. Inquirimus ergo neque utrum malum *absolutum* per se nullum sit ; neque utrum male facta vacuam

(1) S. Greg. Nyssen., in Eccle. Homil., VIII (Migne, col. 741, A. B.)

(2) Inferno, canto XXXIII.

prorsus et inanem improbis utilitatem afferant. Quæritur tantum quomodo (quum peccata nos ad *nullius* pretii commoda ducant, atque animum nostrum pessima corruptione polluant) quomodo, inquam, fieri queat ut, Deo optimo et sapientissimo nos regente, non prohibeamur quominus peccatum admittamus.

Illud vero Boetius nullo pacto, nisi omnino fallor, attingit. Quin etiam quam intricatum sit id, de quo agitur, clarius monstrat, nedum solvat difficultatem. Quo melius enim significat malum esse funestum et rectæ rationi contrarium, eo magis nos cogit mirari quod Deus homines in malum labi sinat.

Quid igitur erat Boetio proponendum ?

Debebat, credo equidem, multos philosophos imitatus, confirmare « hominum esse istam culpam, » non supremi Numinis, si libertatem bono consilio a Numine datam convertant in fraudem malitiamque (1). Nam libertas nihil iniqui, nihil injusti in se continet : ergo Deus omni jure homines fecit liberos. Se autem esse liberos, immerito quererentur homines, quippe qui, nisi fruerentur libera voluntate, re quidem optima privarentur, neque possent animi sui motu vel vitium fugere, vel colere virtutem.

Quid plura ? In alio loco Boetius, Platonicis disciplinis rursus in memoriam revocatis, cuncta docet suprema benignitate ad bonum dirigi et « solam esse divinam vim, cui mala quoque bona sint, quum eis competenter utendo, alicujus boni elicit effectum (2). » — « Id autem maximæ potestatis est, inquit Plotinus, malis etiam uti valere (3). » Has autem sententias quando laudat, Boetius non recogitat mente quam impie æter-

(1) De Natura Deor., lib. III, 30, 31. — Cf. Plotin, Ennead., III, lib. II, 7.

(2) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 6.

(3) Ennead., III, lib. II, 5, 6.— Cf. S. Augustin., de Ordine, II, 4. — Ibid., Sermo 15 de ỳ. 8, Psal. XXV, n. 3, 5, 7. — Lactant., Instit., V, 22.

nam a Deo sancitam legem peccata hominum violent; sed de miseriis tantum loquitur et calamitatibus, quas tum probi viri, tum improbi ferre coguntur. Cæterum quamvis fatendum sit omnibus quæ in orbe terrarum fiunt, ita sapienter a Deo provideri, ut etiam culpas, quas committimus, in nostram utilitatem sæpissime convertat, quid valeat illud ut detegatur quare homines divina jussa audeant frangere, a recto deficere, Deum ipsum omni impudentia contemnere? Hanc ergo quæstionem « *cur mala sint* » quam sibi tractandam suscipere videbatur, manifestum est vel a Boetio de industria prætermitti, vel argumentis expendi minime ad rem pertinentibus.

§ II.

Duo alia Boetius, principio quarti sui libri, expendenda proposuerat, scilicet quomodo fieri possit ut *mala impunita prætereant*, ut *imperet floreatque nequitia*. Hæc autem singula singulis argumentis non explanat ordine; sed potius esse ducit omnia simul una eademque demonstratione amplecti. Neque immerito, credo equidem. Nemo enim non videt hæc ita jungi inter se, ita copulari ut, si Boetius, quare improbi in terris floreant, recte explicaverit, eo ipso satis aperte ostenderit quare scelera nonnunquam pœna manifesta non plectantur. Itaque illud tantum, in quo difficultatis caput situm est, Boetius aggreditur, et perlongum doctissimumque sermonem instituit, detegendi causa « cur virtus non solum præmiis careat, verum etiam sceleratorum pedibus subjecta calcetur, et in locum facinorum supplicia luat (1). »

Quam ardua sit ista de proborum miseriis, de improborum prosperitatibus quæstio, nullum philosophum fugit. Quin etiam non defuere qui, ea rerum perturbatione, quam nimis iniquam judicabant, plus æquo permoti, idcirco Providentiam omnino

(1) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 1.

tolli existimarunt. Cotta, quem Tullius loquentem inducit, Ennii verba, quorum fecimus mentionem, profert in medium,

« ...... Quid agat hominum genus
(Dii) si curent, bene bonis sit, malis male, quod nunc abest (1); »

et statim asserere non dubitat *hoc uno versu locum totum confici*. Cottæ equidem istud affirmanti non assentior; ea tamen S. Augustini cogor approbare : « Nullum mare tam profundum est, quam est ista cogitatio Dei, ut mali floreant, et boni laborent. Nihil tam profundum, nihil tam altum; ibi naufragat omnis infidelis, in isto alto, in isto naufrago (2). »

In quo jacet recta totius difficultatis enodatio ? Quid potest afferri, tantam auctoritatem, tantum pondus habens, ut jam nulla rerum confusio appareat, ut Providentiæ justitia ponatur in tuto ?

Futura tantum vita mortalem hanc vitam explicari, pro certissimo, credo equidem, habendum est. Mihi profecto nullus est dubitandi locus quin, nisi mortalem vitam sequatur altera vita, nisi futurum sit ut, post corporis obitum, pœna impii, mercede pii tandem afficiantur, quare omnia in terris misceantur miserabiliter, minime queat intelligi. Sublatis enim suppliciis quæ, postquam subierint mortem, patientur mali, sublata quæ bonos manet felicitate, quam vim, quæso, in rectis pravisque sanciendis, Deus habeat ? Nemo enim, ni fallor, dummodo rem consideraverit attente, asserere ausit nefarios homines, vel turpitudine qua animum suum maculant, vel angore et sollicitudine conscientiæ remordentis puniri satis. Itaque nobiscum ipsi quærentes utrum Deus juste humano generi provideat, ne fluctuemur animo, gravissimi philosophi vitam futuram semper ante oculos proponendam esse censuerunt : « Attendunt homines, inquit S. Augustinus, qui credunt præsentia et non credunt

(1) Divinat., II, 50.
(2) Enarrat. in Psalm. 91, n. 8.

futura, et dicunt in corde suo quia res humanas Deus nec respicit, nec regit (1).... Multa servantur judicio (2).... Deus autem patiens est quia æternus est; et novit diem judicii sui ubi omnia examinat (3). — Nullus ibi erit impunitæ querelæ locus, cur injustus ille sit felix, et cur justus ille infelix. Omnium namque tunc nonnisi bonorum vera et plena felicitas, et omnium nonnisi malorum digna et summa infelicitas apparebit (4). »

Hæc autem fere omnia e Lactantii libris sumpta fuisse credas : « Nos judicium Dei, inquit ille, exspectare debemus, ut eos postmodum qui de nostris judicaverint, judicemus (5). — Ultimis enim temporibus statuit de vivis ac mortuis judicare. Differt ergo, donec veniat temporum finis, quo effundat iram suam in potestate ac virtute cœlesti (6).... Deus autem non ad præsens irascitur, quia æternus est (7). »

Sed quid Christianos doctores commemorem? Legamus pulcherrima illa Platonis, quæ in decimo Legum libro reperiuntur : « Hoc est judicium Divorum Cœlicolarum, o puer et adolescens, qui negligi te a Diis putas.... pœnam convenientem pendes, vel hic manens, vel in Orco postquam trajeceris, vel in alium etiam his horribiliorem locum translatus. Atque hoc idem dictum existimes de illis, quos tu ex parvis magnos factos videns, impio vel simili aliquo facinore ex miseris beatos factos esse putasti, deinde in rebus eorum tanquam in speculis conspexisse Deorum negligentiam omnium tibi visus es, *non intellecta collatione eorum*, quonam ea modo universo conducat :

(1) Sermo 18, in Psalm. 49, n. 1.
(2) Ibid., n. 2, 4.
(3) Enarrat. in Psalm. 91, n. 7.
(4) Civit. Dei, XX, 1. — Cf. Ibid., I, 29 ; XX, 2; XIX, 4, 11.
(5) Lactant., Epitome, 1. — Cf. Instit. V, 21; VII, 5; de Ira Dei, 20.
(6) Ibid., Instit., II, 17.
(7) Ibid., de Ira Dei, 21.

hanc vero cognosci, o omnium fortissime, qui minus necesse esse censes? Quam si quis non cognoscat, nec formam conspicere unquam, nec rationem inire vitæ ad felicitatem et infelicem sortem possit (1). »

Eum autem argumentandi modum, quem maximi pretii fecerunt tot tantique viri, Boetius negligit omnino et prætermittit. Quid de re illa Plato senserit, cujus sententiis totam suam disputationem exornat, apprime scit : persuasum habet esse « *animarum supplicia post defunctum morte corpus..., et magna quidem,* » *sed de his disserere,* non vult (2). Probos credit mentis bonæ gaudiis expleri, atque ipsa, quam colunt, virtute; qua quidem fit ut ad summum perducatur hominis natura, et ad Deum, sublimi quadam similitudine, proxime accedat. Improbos autem satis superque puniri arbitratur, quod et longe a Deo aberrent, et gravi conscientiæ pondere crucientur, et « naturam hominis aspernati, hoc ipso luant maximas pœnas, etiamsi cætera supplicia, quæ putantur, effugerint (3). » Alii etiam philosophi, singulari ingenio et doctrina illustres, existimarunt non opus esse, ut quæstio de improborum prosperitatibus absolvatur, mentionem de præmiis et pœnis vitæ futuræ facere. Id imprimis Stoici, quos Boetius secutus est, totis viribus defenderunt : quippe qui, quum de animorum immortalitate vix aliquid recti suspicarentur, non possent, demonstrationem suam fulciendi causa, ullum petere e vita futura argumentum (4).

Me autem a philosophis illis et a Boetio fateor tota sententia dissentire : neque mihi dubium est quin, nisi futuram vitam ante oculos proponant, causæ quam tuentur maximum detri-

(1) Plato, Legum, lib. X (Didot, p. 456). — Cf. Republ., I, X. — Legum, lib. XII; Phédon, Phèdre.

(2) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 4.

(3) Cicero, de Repub., III, 17.

(4) Cf. Tusculan., I, 31, 32.

mentum afferant, imo nihil præbeant quod solido fundamento nitatur et tollat difficultatem.

Nam in quo Boetius argumentatur?

Illud primum gravissimi momenti proponit in medium, hominum genus a Deo sapientissimo et optimo regi. Hoc autem concesso, sequitur si non omnia, quæ in hac quæstione obscura sunt, prorsus enodari, at saltem qui Dei justitiam impugnant, eos efferri omni impudentia, omni judicio carere.

Minime negligenda est philosophis, qui sincera mente verum quærunt, hæc argumentandi ratio. Sed sentit Boetius dilucidiorem rei explanationem desiderari. Itaque mox inquirit cur, Deo omnia gubernante, bonis mala, improbis bona eveniant. Affirmat bonos quidem nunquam potentia, nunquam præmio, nunquam felicitate carere; improbos autem semper imbecillitate laborare, semper pœna affici, semper in miseria esse (1).

Hæc, quæ Socratis in libro qui Gorgias inscribitur Polum alloquentis doctrinam plerumque offerunt, quam pulchra sint, quam sublimia, libentissime profiteor. Quis enim, nisi ea tantum respicit quæ tanguntur et cernuntur oculis, nisi mentem in nobis corpori natura longe præstantiorem inesse negat, quis, inquam, non habet pro certissimo nefarios homines, sceleribus flagitiisque commissis, nescio qua labe horrenda fœdari quæ, quamvis occulta maneat atque abscondita, profecto in eorum animis infixa est, atque eos omni abjectione deprimit, omni inficit opprobrio? Labe ista corrumpuntur sine ulla dubitatione improbi; sic pœna plectuntur, et ea quidem maxima : « An est ullum majus malum turpitudine, inquit M. Tullius? Quæ si in deformitate corporis habet aliquid offensionis, quanta illa depravatio et fœditas turpificati animi debet videri (2)? » — « Si possemus, inquit S. Augustinus (3), videre animas homicida-

(1) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 2, seq.
(2) De Officiis, III, 29.
(3) Sermo 8, de decem plagis, n. 7.

rum, plus plangeremus quam putrescentia corpora ulceratorum. » Illud Boetius optime intelligit, eloquentissimis verbis amplificat, carminibus venustissimis auget. Sed quomodo credere potest nihil aliud requiri ut boni se vexari ab improbis, damnari, suppliciis torqueri, nullo jure conquerantur ?

Nimium ad Stoicos inclinat. Gravissime affirmat Seneca non esse solidam et sinceram improborum felicitatem, sed *crustam* et *tenuem* (1) ; neque dubium esse quin a bonis viris multa mala Deus removerit, « scelera et flagitia, et cogitationes improbas, et avida consilia, et libidinem cæcam, et alieno imminentem avaritiam (2). » Has Senecæ sententias laudemus, approbemusque ; sed concedamus etiam pluribus commodis improbos frui, pluribus doloribus angi bonos, quam ut quæstio penitus absolvatur. Quis enim det idoneam virtutis mercedem in ipsa virtute esse sitam ? « A Zenone hoc magnifice, tanquam ex oraculo, editur : Virtus ad beate vivendum se ipsa contenta est (3). » Sed quotidiana rerum experientia Zeno refellitur. Nonne scimus virtutem per se duram esse ? « Virtus, inquit Lactantius, per se ipsam beata non est, quoniam in perferendis, ut dixi, malis tota vis ejus est (4). » — « Virtutes ipsæ, inquit S. Augustinus, quibus hic certe nihil melius atque utilius in homine reperitur, quanto majora sunt adjutoria contra vim periculorum, laborum, dolorum, tanto fideliora testimonia miseriarum (5). » Neque Boetius ipse in alia est sententia : « Ex quo etiam, inquit, virtus vocatur, quod suis viribus nitens, non superetur adversis (6). »

Quum vero non abnuatur virtutem adversis tentari, ubi opti-

(1) Senec., de Providentia, 6.
(2) Ibid.
(3) Cicero, de Finibus, V, 27.
(4) Lactant., Instit., III, 12. — Cf. VI, 9.
(5) Civitat. Dei, lib. XIX, cap. IV, n. 5.
(6) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 7.

mus quisque, postquam dura ne deserat virtutem passus erit, ubi, quæso, mercedem capiet sua constantia dignam? Boetii opinionem si sequemur, nihil a probo viro accipi fateamur necesse erit. Igitur Boetium his Lactantii verbis libentissime refellam : « Sanus non est qui, nulla spe majore proposita, iis bonis, quibus cæteri utuntur in vita, labores et cruciatus et miserias anteponat (1). »

Quod si ista Boetius addit : « Bonos omnes, eo ipso quod boni sunt, fieri beatos liquet; sed qui beati sunt, deos esse convenit (2); » quid dici potest inanius? Num virtute, quam observant et omni studio colunt, prohibentur boni ne paupertatem, ignominiam, mortem patiantur? Num, quia se rectissime fecisse sciunt et bona fruuntur conscientia (quanquam non raro fit ut optimi viri tranquillitate et pace animi careant), num ideo ex acerbis quæ accidunt nullum accipiunt dolorem? Credant Stoici; sed Stoicos delirare, omnes mente sana clamant.

Ergo asserat Boetius eventurum esse diem, quo probi piique viri, obtenta jam in cœlestibus sedibus immortali vita, magnificis præmiis cumulabuntur, Dei fruentur conspectu, et sublimem prorsus conditionem adepti, erunt divinæ naturæ quasi participes. Hæc omnia affirmet, augeat, extollat! Ne fingat autem degentes adhuc in terris probos jam mercede, qua digni sunt, donari.

Jam quod argumentationis a Boetio institutæ de improborum prosperitatibus caput est, scilicet meliorem esse bonorum quam improborum sortem, dijudicavimus et ex parte rejecimus.

Subjungit Boetius multas et graves causas esse cur Providentia bonis mala, improbis bona sinat nonnunquam evenire. Nonne enim utilissimum est bonorum virtutem augeri in dies, prohiberi ne nimia felicitate corrumpatur, omnium hominum

(1) Lactant., Instit., VI, 9.
(2) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 3.

imitatione fieri dignam (1)? Nonne Deus benignissime agit, optimeque qui, quum posset improbos statim et repente punire, dat eis tempus ut mores suos emendent, ut peccatorum suorum sponte pœnas luant (2)? Id profecto extra omnem controversiam ponendum est; id a præstantissimis philosophis fuit rectissime defensum. Plato vult vexari bonum, lacerari, damnari, uri, ligari ad palum, denique omnia pati infanda, quo sublimior appareat justitia, et virtute divinior (3). Seneca, in suo de Providentia libro, tam pulchre de bonorum miseriis disserit, ut Lactantio videatur « multa non plane imperitia sæculari, sed sapienter ac pene divinitus elocutus esse (4). » — « Bonus ipse, inquit, tempore tantum a Deo differt, discipulus ejus, æmulatorque et vera progenies; quem parens ille magnificus, virtutem non lenis exactor, sicut severi patres, durius educat...., experitur, sibi illum præparat (5). » — « Ecce spectaculum dignum, ad quod respiciat intentus operi suo Deus; ecce par Deo dignum, vir fortis, cum mala fortuna compositus (6). — Idem dicant quicumque jubentur pati timidis ignavisque flebilia : digni visi sumus Deo, in quibus experiretur quantum humana natura posset pati (7). »

Lactantium modo memoravi : Deum affirmat propter hanc causam summa benignitate uti in malos, quod « si pœna omne peccatum sequeretur, » ne ullus quidem ex malis bonus unquam fieret (8) : « Non ad præsens (Deus) noxium quemque punit, ut habeat homo resipiscendi et corrigendi sui potesta-

(1) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 6.
(2) Ibid., lib. IV, pros. 6.
(3) Repub., II (Est. 339).
(4) Lactant., Instit., V, 22.
(5) Senec., de Providentia, I, circa finem.
(6) Ibid., II (Nisard, p. 127).
(7) Ibid., IV (Nisard, p. 132).
(8) Lactant., de Ira Dei, 20.

tem (1). » Neque aliam doctrinam videmus fuisse a S. Augustino traditam : « Ne putetis, inquit, gratis esse malos in hoc mundo, et nihil boni de illis agere Deum. Omnis malus aut ideo vivit ut corrigatur, aut ideo vivit ut per illum bonus exerceatur (2). »

Boetius eumdem locum enodaturus, sententias proponit concisas brevesque, sed auctoritate et pondere graves, quarum præcipuæ eo tendunt ut confirmetur « omnem fortunam, vel jucundam, vel asperam, tum remunerandi exercendive bonos, tum puniendi, corrigendive improbos causa deferri (3). » Rursus ergo ante oculos habet quid Plato significaverit, quid docuerint Stoici ; sed rursus quoque existimat immerito nihil Stoicorum opinionibus esse addendum ; ideoque nullam de futura vita mentionem esse faciendam. Quid tamen fuit magis necessarium ? Nisi enim recogito futuræ vitæ præmia, nequeo prorsus perspicere quem finem probi expetant, virtutes suas tolerantia malorum augendo, voluptates fugiendo, atque, ut egregium cæteris hominibus exemplum præbeatur, acerbissima ferendo fortiter : « Nonnulli, inquit, venerandum sæculi nomen gloriosæ pretio mortis emerunt (4). » Sed quam exigua et infirma, et *crusta* et *tenuis,* ut Seneca dixit, esset ista proborum merces ! Jam Boetius, velut suæ ipsius argumentationis contemptor factus, non memor est qua eloquentia in gloriam invectus sit ! Nihil duri justus repudiat, nihil rejiciat acerbi, hac tamen conditione, si eo magnificentioribus præmiis inter cœli-

(1) Lactant., de Ira Dei, 21.

(2) S. Augustin., in Psalm. 54, ad primum ℣.— Cf. de Ordine, II, 4. — Cf. Platon., Legum, lib. IX (p. 455, Didot). — Aristot., Ethic., II, 8. — Ibid., de Generat., II, 10. — Ibid., Metaphys., XIV, 10. — Plotin., Ennead., III, lib. II, 17. — Ibid., Ennead., IV, lib. IV. — Jambliq., de Myst., IV, 8. — Malebranche, Eclaircissem. du VIe livre. — Fénelon, Exist. de Dieu, I, 5.

(3) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 7.

(4) Ibid., lib. IV, pros. 6.

colas cumulabitur, quo magis incredibilem constantiam et fortitudinem ostenderit. Quod si autem futura præmia tolluntur, cogor, Platonem secutus, profiteri nihil ex omnibus, quæ in terris fiunt, a me intelligi (1); clamoque una cum S. Paulo : « Si in hac vita tantum in Christo sperantes sumus, miserabiliores sumus omnibus hominibus (2) ! »

(1) Plato, loco citato.
(2) I. Cor., XV, 19.

CAPUT TERTIUM.

Quid de ea Boetii argumentatione censendum, qua ostendit Providentiam liberæ hominum voluntati non esse contrariam.

§ I.

Non defuerant inter veteres philosophos qui res futuras a Deo prænosci negarent : ex quibus, ut de antiquissimis loquar, Colophonius Xenophanes unus citatur qui, quamvis deos esse diceret, affirmaverit sciri nihil posse a diis, nisi quæ vel præterita sunt, vel jam aguntur (1). Postea Epicurei omnes infensissime divinam præsagitionem impugnaverunt (2); nec mirum profecto, quum, ab Epicuro magistro suo edocti, balbutiente de natura supremi Numinis, non ii essent qui, qua sublimi scientia fruatur Deus, intelligerent. Epicureis tandem magnum auxilium Recentioris Academiæ princeps Carneades attulit (3), vir incredibili quadam celeritate mentis dicendique copia ; sed qui, ipso M. Tullio, a quo tamen æstimabatur magni, fatente, sæpe optimas causas ingenii calumnia ludificari solebat (4). Carneades

(1) Cicero, Divinat., I, 3.
(2) Ibid., I, 3.
(3) Cicero, de Fato, XI.
(4) Cicero, de Republ., III, 4.

Epicureos docuit qua ratione suam causam defenderent melius (1); Stoicos studiosissime refellit, præsagitionis divinæ defensores acerrimos, quorum disciplinam conabatur evertere : « Dicebat Carneades, inquit Tullius, ne Apollinem quidem futura posse dicere, nisi ea, quorum causas natura ita contineret, ut ea fieri necesse esset..... Ita ne præterita quidem ea, quorum nulla signa, tanquam vestigia, exstarent, Apollini nota esse censebat : quo minus futura (2). »

Pessimum autem errorem in quem Recentior Academia fuerat lapsa, nemo uberiore eloquentia defendit et majore auctoritate tuitus est quam M. Tullius Cicero. M. enim Tullius ea ratione ductus quod, rebus futuris a Deo cognitis, libertatem hominum stare non posse existimaret, judicavit ne omnium rerum humanarum sequeretur confusio, potius esse destrui præscientiam, quam nostram libertatem auferri : « In has angustias, inquit S. Augustinus, coarctat animum religiosum, ut unum eligat e duobus, aut esse aliquid in nostra voluntate, aut esse præscientiam futurorum..... Ipse itaque ut vir magnus et doctus, et vitæ humanæ plurimum ac peritissime consulens, ex his duobus eligit liberum voluntatis arbitrium : quod ut confirmaretur, negavit præscientiam futurorum : atque ita dum vult facere liberos, fecit sacrilegos (3). » Alterum de Divinatione librum M. Tullius composuit, ut contra Stoicos probaret non posse earum rerum, quæ nihil habent rationis quare futuræ sint, ullam esse præsensionem : « Nihil, inquit, est tam contrarium rationi et constantiæ quam fortuna : ut mihi ne in Deum quidem cadere videatur, ut sciat quid casu et fortuito futurum sit. Si enim scit, certe illud eveniet. Sin certe eveniet, nulla fortuna est. Est autem fortuna. Rerum igitur fortuitarum nulla est præsensio (4). »

(1) Cicero, de Fato, XI.
(2) Ibid., de Fato, XIV.
(3) Civitat. Dei, lib. V, cap. IX, n. 2.
(4) Divinat., II, 7, 6.

Verumenimvero excepto Xenophane, exceptis Epicureis, quorum de Numine supremo opiniones nullum pondus habent, exceptis etiam Recentioris Academiæ discipulis, reliqui fere omnes philosophi, Tullio teste (1), extra controversiam posuerunt res cunctas, antequam fiant, a Deo cognosci certissime. Stoici autem præ cæteris omnibus, acerrimo studio ut præscientiam in Deo inesse confirmarent, elaboraverunt. Taceam de argumentis quibus probare enitebantur divinationem esse : quam quidem divinationem, nisi Deus noscat futura, intelligi non posse, nemo est qui non videat (2). Illud tantum hic indicetur fuisse rectissime visum a Stoicis, Deum, quippe qui absolute sit perfectus, eo ipso nihil ex futuris etiam rebus posse ignorare. « Neque (dii) ignorant ea, aiebant, quæ ab ipsis constituta et designata sunt..... neque non possunt futura prænoscere (3). » S. Augustinus eadem fere argumentatione usus, affirmat M. Tullium, quum Deum negat futurorum esse præscium, verbis quidem Deum esse confiteri, re autem ipsa tollere : « Aut enim Deum esse negat, inquit (quod quidem inducta alterius persona, in libris de Deorum Natura facere molitus est); aut si esse confitetur Deum, quem negat præscium futurorum, etiam sic dicit nihil aliud quam quod ille « dixit insipiens in corde suo : Non est Deus. » Qui enim non est præscius omnium futurorum, non est utique Deus (4). » Jam paulo ante, ejusdem capitis initio, sanctus Doctor dixerat : « Confiteri esse Deum, et negare præscium futurorum, apertissima insania est (5). »

Boetius vero Stoicas in hac etiam parte disciplinas suscipit omni studio defendendas ; quin etiam vel sagaciore mente

(1) Divinat., I, 3. — Cf. Petav., de Deo, lib. IV, cap. VI, 5 ; Ennead., IV, l. IV, cap. 12.

(2) Divinat., I, 39.

(3) Ibid., I, 38.

(4) Civitat. Dei, lib. V, cap. IX, n. 4.

(5) Ibid., lib. V, cap. IX, n. 1.

ductus, vel edoctus a melioribus magistris, cavet diligentissime ne errores in quos plerique Stoici lapsi fuerant, ipse tueatur. Pro fixo et rato ponit cunctas res futuras a Deo prænosci, et certa quidem omnino, firmaque scientia, non vero fallaci, dubiave aut incerta. At non solum omnia docet cognosci a Deo antequam fiant, sed etiam, quanquam solet minime curare quid contra opinionem quam defendit fuerit a quoque dictum, utile esse existimat pauca subjungere, argumentum, quod quamdam veri speciem præ se fert, refellendi causa ; quo quidem Academici Recentiores præscientiam facile destrui arbitrabantur. Contendebant enim Academiæ illius patroni, contendebat præ cæteris Cicero multa *sine causa,* multa *casu* et *fortuito* fieri : ex quo sequi asserebant « ne in Deum quidem cadere ut sciat quid *casu* et *fortuito* futurum sit (1). » Hos autem philosophos Boetius optime confutat, brevissime exponendo quid significet vox ista *casus,* sicque omnibus faciendo perspicuum nihil *fortuito* evenire, nihil sine causa : « Si quidem, inquit, aliquis eventum temerario motu, nullaque causarum connexione productum *casum* esse definiat, nihil omnino casum esse confirmo, et præter subjectæ rei significationem, inanem prorsus esse vocem decerno. Quis enim, coercente in ordinem cuncta Deo, locus esse ullus temeritati reliquus potest?..... Quoties aliquid cujuspiam rei gratia geritur, aliudque quibusdam de causis, quam quod intendebatur, obtingit, *casus* vocatur : ut si quis colendi agri causa fodiens humum, defossi auri pondus inveniat. Hoc igitur *fortuito* quidem creditur accidisse ; verum non de nihilo est. Nam proprias causas habet : quarum improvisus inopinatusque concursus *casum* videtur operatus (2). »

Hanc clarissimam casus explicationem, qua omnia ab Recentioribus Academicis insulse excogitata corruunt, Boetius ex

(1) Divinat., II, 6.
(2) Consolat. Philos., lib. V, pros. 1.

Aristotelis de Physicis opere, ipse fatetur, depromit (1). Nihil profecto apertius, nihil rectius dici potest; neque idem significare S. Augustinus dubitat, quum sic M. Tullium refellit tam frigide fingentem res casu aut fortuna produci : « Quid eum (Tullium) adjuvat, inquit, quod dicit nihil quidem fieri sine causa, sed non omnem causam esse fatalem, quia est causa fortuita, est naturalis, est voluntaria? Sufficit quia omne quod fit, nonnisi causa præcedente fieri confitetur. Nos enim eas causas, quæ dicuntur fortuitæ, unde etiam fortuna nomen accepit, non esse dicimus nullas, sed latentes (2). »

At non solum præsagitionem, qua Deus futura cognoscit, sed libertatem etiam hominum Boetius ponit in tuto. Utrum homo libera voluntate fruatur necne, nunquàm quærit incertus : quin imo, quum existimet extra omnem controversiam esse nos neque vi, neque necessitate premi, inutile credit proponere argumenta, causa confirmandi voluntarios esse animorum nostrorum motus. Illud tantum subjungit, quamdam argumenti speciem ferens, tam deplorandam omnium divinarum humanarumque rerum, sublata nostra libertate, confusionem oriri, tam horrendam consequi perturbationem, ut nemini ista infanda secum reputanti liceat jam nostram libertatem vocare in dubium. Igitur gravibus, quæ supra retulimus, verbis ostendit, pereunte hominum arbitrio, omnia perire simul, tolli virtutem, tolli virtutis præmium, destrui pietatem religionemque, spes nostras evanescere, tacere nostras preces, denique totum humanum genus longe aberrare a Deo, atque in ruinam mitti præceps. Nihil majus Stoici requirebant ut probarent tum assensiones, tum actiones esse in nostra potestate (3). Quod si Boetius, iis in medio propositis uti noluit, ut a voluntate nostra removeret

(1) Cf. Aristot., lib. II, cap. V.
(2) Civitat. Dei, lib. V, cap. IX, n. 4.
(3) De Fato, XVII.

vim ineluctabilem, apparet evidenter libertatem humanam ipsi clariorem fuisse visam, quam ut ulla argumentatione fulciretur.

§ II.

Itaque arduam hanc quæstionem, num divina præscientia sit libertati humanæ contraria, Boetius aggressus, non veretur aperta voce profiteri tum cognitionem rerum futurarum in Deo insitam esse, et certam quidem et nulli errori obnoxiam, tum hominum mentes esse liberas atque omni lege fataliter cogente solutas. His ergo, quorum, ut ita dicam, vinculum detegere vult, plane affirmatis, ulterius progreditur.

Ex philosophis veteribus, qui divina futurorum præsagitione non destrui libertatem humanam probare fuerant conati, alii alias rationes excogitaverant quarum plerasque Boetius, ne rebus nimium obscuris implicaretur, merito prætermisit. Chrysippus, Stoicorum princeps, omnia arbitrabatur cylindro suo solvi; cylindrum istum, de quo multa disserit quæ vix intelligere queo, M. Tullius fert molestissime, perlongo sermone evertit, et, quo abundantius ostendat nihil inde concludendum, sudat multum, nimioque labore consumit vires suas. Cicerone vero felicior et prudentior Boëtius mihi videtur, qui nec cylindrum, nec Chrysippum memorat.

Fato autem cuncta esse explicanda asserebant Stoici fere omnes (1). Quid in eorum sententia fatum esset, ex iis Quinti Ciceronis verbis, quem M. Tullius inducit de Divinatione disputantem, perspicue intelligitur : « Fatum, inquit, id appello, quod Græci εἱμαρμένην, id est, ordinem seriemque causarum, quum causa causæ nexa rem ex se gignat. Ea est ex omni æternitate fluens veritas sempiterna. Quod quum ita sit, nihil

(1) Cf. Divinat., I, 55; II, 6. — De Natura Deorum, I, 11. — Ennead., III, lib. I, 2.

est factum quod non futurum fuerit, eodemque modo nihil est futurum, cujus non causas id ipsum efficientes natura contineat. Ex quo intelligitur, ut fatum sit, non id, quod superstitiose, sed id, quod physice dicitur, causa æterna rerum cur et ea, quæ præterierunt, facta sint, et, quæ instant, fiant, et, quæ sequuntur, futura sint (1). »

Nobis igitur quam vim ea vox *Fatum* habeat perspicientibus, facile apparet quomodo Stoici, ne læderetur præscientia, sint in maximam difficultatem lapsi, atque humanam libertatem (quam tamen omni ope enitebantur ponere in tuto) (2), discrimen in summum adduxerint. Quod si enim omnia quæ eventura sunt, ita indissolubili vinculo colligantur causis suis ut nihil unquam possit fieri, nisi ex æterno causa causam ferens, hoc erit effectura, sequitur quidem ut Deo omnem seriem ordinemque causarum mente sua intuenti, omnia simul clara sint et manifesta; sed illud quoque sequi videtur ut id fatum vim necessitatis afferat, et motus animorum prohibeat ne voluntarii sint et liberi (3).

Boetius ipse nonnulla, in quarto Consolationis suæ libro, de Fato disseruerat; eo sane consilio ut ne ullam quidem rem esse probaret quam suprema sua Providentia Deus non complectatur. Nihil ea voce *Fato* significare vult nisi « eorum quæ divina simplicitas gerenda disposuit, mobilem nexum atque ordinem temporalem (4). » At quamvis fatum non fingat aliquid esse quod, extra Deum, vi propria sua existat, nonnullis verbis, de Fato locutus, utitur, quæ melius fuisset, ni fallor, nunquam proferre. Quorsum enim ista pertineant ? « Fati series..... actus etiam fortunasque hominum indissolubili causarum connexione constringit : quæ quum ab immutabilis Providentiæ

(1) Divinat., I, 55.
(2) De Fato, XVII ssq.
(3) Ibid., XVII.
(4) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 6.

proficiscantur exordiis, ipsas quoque immutabiles esse necesse est (1). »

Mihi profecto totum hunc Consolationis locum consideranti, non dubium est quin Boetius multum absit, iis de Fato subjunctis, ut vel Dei, vel homines libertatem destruere velit aut minuere. Boetium tamen, quanquam longe a vitiosis Stoicorum opinionibus discrepare mihi videtur, censeo aliqua vituperatione esse reprehendendum, atque omni jure esse his S. Augustini vocibus increpandum : « Quæ si propterea quisquam fato tribuit, quia ipsam Dei voluntatem, vel potestatem, fati nomine appellat, sententiam teneat, linguam corrigat. Cur enim non hoc primum dicit, quod postea dicturus est; quum ab illo quisquam quæsierit, quid dixerit fatum (2)? »

Cæterum quum Boetius in eo est ut præscientiam divinam ostendat minime nostræ libertati esse contrariam, fatum istud omnino negligit et prætermittit : ex quo igitur evidenter concludendum est, Boetio fuisse persuasum fatalem rerum seriem, quæ fuerat a Stoicis excogitata, nihil prorsus valere ad explanationem de divina præscientia absolvendam (3).

Explicandi causa quomodo res futuræ non careant libertate sua quamvis, antequam fiant, cernantur a Deo, aliquid acutius,

(1) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 6.

(2) Civitat. Dei, lib. V, cap. I.

(3) Nonne tamen aliqua difficultatis explicatio ex iis Stoicorum sententiis depromi potest, quibus animadvertendum esse nobis jubent *causam* atque *illud quod causa producit* ita arcto vinculo inter se jungi ut, causis efficientibus quamque rem cognitis, statim sciatur quid futurum sit? Nam « ut in seminibus, inquit venuste Q. Cicero (Divinat. I, 56) vis inest earum rerum, quæ ex iis progignuntur ; sic in causis conditæ sunt res futuræ. »

Quid autem inde sequitur? Deus profecto, quum nihil eum fallat, colligationem causarum omnium perspicit animo ; qui vero tenet causas rerum futurarum, idem necesse est omnia teneat, quæ futura sint. Itaque voluntarios animorum motus,

quod quidem Boetius memorat, expenditque, fuerat a nonnullis philosophis propositum : asserebant « non esse ideo quid eventurum, quoniam id Providentia futurum esse prospexerit, sed e

salva eorum libertate, Deus prænoscere poterit, dummodo omnes eorum, quæ sumus postea nutu nostro facturi, causas intueatur.

Hanc explicationem a Stoicis indicatam S. Augustinus laudat. Ponit primum « humanas voluntates hamanorum operum causas esse ; » deinde « ipsas nostras voluntates in causarum ordine esse qui certus est Deo, ejusque præscientia continetur. » Denique sic concludit : « Atque ita qui omnes rerum causas præscivit, profecto in eis causis etiam nostras voluntates ignorare non potuit, quas nostrorum operum causas esses præscivit. » (Civit. Dei, lib. V, cap. IX, 3.)

Non dubitare possum quin Deus perfecte sciat quæ sit cujusque hominis natura, quæ causæ sint cujusque hominis mentem huc illuc impulsuræ. Sed quorsum hæc spectant, ut nodum solvant qui nobis objicitur ? Quæstionem mihi videntur transferre, non explicare. Ostendi enim oportet nostram libertatem minime eo lædi, quod *nostræ voluntates in causarum ordine sunt, qui certus est Deo*. Ubi autem illud ostendatur, nequeo detegere.

Aliud tandem tum in V° de Civitate Dei, tum in III° de Libero Arbitrio S. Augustinus proponit. In hoc argumentatur quod Deus non solum quid facturi simus prænoverit, sed prænoverit simul futurum esse ut, quum id ageremus, nostra frueremur libertate : « Non ergo, inquit, propterea nihil est in nostra voluntate, quia Deus præscivit quid futurum esset in nostra voluntate. Non enim qui hoc præscivit, nihil præscivit.. .. (Civit. Dei, lib. V, cap. X, 2.) — Quum sit præscius voluntatis nostræ, cujus est præcius ipsa erit. Voluntas ergo erit, quia voluntatis est præscius. » (Libero Arbit., III, 8.) At quid hæc valeant? S. Doctor clare affirmat tum assensiones nostras a Deo prævideri, tum assensiones illas necessitate esse immunes. Qua autem ratione ea duo simul manere possint, erat aperiendum.

De omnibus autem ejusmodi, Boetius ne unum quidem verbum profert : igitur non sunt nobis fusius expendenda.

contrario potius, quoniam quid futurum est, id divinam Providentiam latere non posse (1). »

Modus ille rem exponendi, quo efficitur ut Præscientia non jam sit causa rerum futurarum, sed contra res futuræ sint Præscientiæ causa, modus ille, inquam, non paucis philosophis, et gravissimis quidem, videtur placuisse : imo, Petavius, vir summa eruditione, non dubitat quin inter doctos « *ea sententia fuerit communis* (2). » S. Augustinum testatur, Ammonium, Gaudentium, S. Anselmum; testatur præ cæteris Origenem cujus verba profert, quibus nihil apertius esse possit : « Non est præscientia causa rerum quæ fiunt...., inquit, sed (ut quod dictu quidem magis est mirabile, sed tamen verius, eloquar) quod futurum est, causa est cur talis sit ipsius præscientia. Non enim ex eo quod cognitum est, fit illud : sed quoniam futurum erat, est cognitum (3) ».

Boetius vero hanc explicationem omnino respuit ac rejicit : « Neque enim, inquit, illam probo rationem qua quidem credunt hunc quæstionis nodum posse dissolvere (4); » atque eam causam affert cur a philosophis illis dissentiat, quod ejusmodi sententiæ favendo neque tollant difficultatem, neque argumentum suum recto fundamento fulciant. Non sunt rursus proferenda quæ de eo Boetii loco in priore parte exposuimus : me tamen ad Boetium multum inclinare profiteor. Quantacumque enim sit doctissimorum virorum quos citat Petavius auctoritas, vix suspicor quid Boetio respondeant ostendenti tum opinione,

(1) Consolat. Philos., lib V, pros. 3.

(2) Cf. Petavium, de Deo Deique proprietat., lib. IV, cap. VII, 10. — Ibid., n. 2, 9. — S. Augustin., de Gratia Christi, lib. I, cap. V, X. — Civit. Dei, lib. V, cap. X. — Gaudent. Brixian., Tractat. 3, de Pasch. — Anselm., Concord. Præscient.

(3) Origen., de Præparat., lib. VI, p. 169. — Proclum., de Provid. et Fato.

(4) Consolat. Philos., lib. V, pros. 3.

quam tuentur, minime sequi Providentiam et futura nullo necessitatis vinculo jungi; tum repugnare vehementer divinam cognitionem ab humanis rebus vel levissime pendere.

§ III.

Examinemus tandem quid Boetius excogitaverit, aperiendi gratia quomodo Dei præscientia atque humana libertas ex omni parte secum ipsæ consentiant.

In hoc mihi videntur multi philosophi erravisse, qui sunt Præscientiam divinam non esse libertati hominum contrariam probare conati, quod inquirere primum in quo consistat divina scientia neglexerunt : quo tamen nihil utilius, nihil magis necessarium, ne vana admodum atque inanis disputatio fiat, ne de rebus plane obscuris oriatur controversia. Nam qui nescit qua ratione Deus prænoscat res futuras, quo jure affirmat præscientia legem ineluctabilem rebus imponi? Tota igitur difficultatis explicatio ab ipsa tantum divinæ cogitationis notione pendet. « Cujus caliginis causa est, inquit Boetius, quod humanæ ratiocinationis motus ad divinæ præscientiæ simplicitatem non potest admoveri ; quæ si ullo modo cogitari queat, nihil prorsus relinquetur ambigui (1). » Itaque oportet eam divinæ cognitionis speciem nobis effingere, qua perspecta sequetur nullum nostro arbitrio detrimentum præscientia afferri.

Ergo Boetius quæ sit divinæ scientiæ natura quærere debebat, et quæsivit quidem. Illud autem detegere studenti, visum est res futuras ita, antequam fiant, cognosci a Deo, ut non *præsciantur,* sed *sciantur* tantum, non *prænoscantur,* sed *noscantur :* « Scientia (Dei), inquit, omnem temporis supergressa motionem, in suæ manet simplicitate præsentiæ, infinitaque præteriti ac futuri spatia complectens, omnia, quasi jam gerantur, in sua simplici cognitione considerat. Itaque si præsentiam

(1) Consolat. Philos., lib. V, pros. 4.

pensare velis, qua cuncta dignoscit, non esse præscientiam quasi futuri, sed scientiam nunquam deficientis instantiæ rectius æstimabis (1). »

Quo vero fundamento Boetius explicationem suam fulcit?

Naturam scientiæ divinæ ut scrutetur, perpendit quid sit Dei æternitas; æternitatemque definit : « Interminabilis vitæ totam simul et perfectam possessionem (2) : » quæ quidem celeberrima definitio eo pertinet ut significetur Dei vitam non esse ulli temporis rationi obnoxiam, sicque nihil Deo videri præteritum, nihil futurum, sed omnia simul esse præsentia : « Quod igitur, inquit, interminabilis vitæ plenitudinem totam pariter comprehendit ac possidet, cui neque futuri quidquam absit, nec præteriti fluxerit, id æternum esse jure perhibetur : idque necesse est et sui compos præsens sibi semper assistere, et infinitatem mobilis temporis habere præsentem (3). »

Hanc divinæ vitæ atque æternitatis notionem, qua omnia nituntur quæ statim subjungit, Boetius in Academicis libris non obscure traditam reperiebat. Plato pulchre in Timæo exponit quomodo se habeat Dei vita : « Dicimus, inquit, *erat*, et *est*, et *erit*, quum tamen solum *est* ex veritate ei conveniat. *Erat* autem et *erit* ad ortum adhibere par sit in tempore euntem; motus enim sunt. Ei vero quod semper eodem modo sine motu est, neque antiquius, neque recentius fieri tempore convenit, aut factum aliquando, aut nunc esse, aut in posterum fore, aut denique quicquam eorum, quæ origo his, qui in sensu feruntur, adjunxit, sed temporis hæ æternitatem imitantis, et ad numerum se in orbem volventis species exstiterunt (4). »

Acceptam a Platone doctrinam Alexandrini philosophi, quos Boetius sæpe habuit patronos, omni studio laudaverunt ac de-

(1) Consolat. Philos., lib. V, pros. 6.
(2) Ibid., lib. V, pros. 6.
(3) Ibid., lib. V, pros. 6.
(4) Timæum. (Didot, p. 209, lin. 25, ssq.)

fenderunt. Declarat Proclus in suo secundo in Timæum libro, « id quod semper est, procul esse ab omni vicissitudine temporis (1); » et paulo post, « quod est æternum.... in quodam intervallo consistere, quod nunquam desinit, et semper existit (2). »

Multa ejusmodi apud Plotinum, in libro *de æternitate et tempore,* reperiuntur : ex quibus ea præ cæteris memorare debemus quæ celeberrimam æternitatis definitionem a Boetio datam videntur continere : « Æternitas, inquit Boetius, est interminabilis *vitæ tota simul et perfecta possessio.* » — « Est itaque, inquit Plotinus, ipsa circa ens in ipso esse *vita simul tota et plena,* et ubique prorsus indistans æternitas ipsa ; quam quærimus : « γίγνεται τοίνυν ἡ περὶ τὸ ὂν ἐν τῷ εἶναι ζωὴ ὁμοῦ πᾶσα, καὶ πλήρης ἀδιάστατος πανταχῇ, τοῦτο ὃ δὴ ζητοῦμεν, αἰών (3). »

Hanc autem de æternitate Dei doctrinam quam præstantissimi philosophi auctoritate sua tuiti erant, Boetius, quum totam suam præscientiæ explicationem confirmaturus, ipse amplificaret, nihil poterat proferre divinæ majestati tam conveniens, nihil rectæ rationi magis consentaneum. Nobis enim recogitantibus quid sublimem Dei naturam deceat, non dubitandi locus est, quin Deus sit longe perfectior, quam ut ulla temporis circumscriptione illum metiamur. Dicere nefas esset vel ejus æternam immutabilemque vitam ab aliquo principio fuisse exorsam, vel divinam ejus scientiam non esse ex omni æternitate absolutam, sed tempore augeri, complerique. Quanquam ergo non tam excellens est ingenii nostri acumen, ut hæc sublimia plane perspiciat, cogimur tamen admittere nihil divinæ scientiæ, annis labenti-

(1) Proclum, in Timæum, II, p. 71.
(2) Ibid., in Timæum, II, p. 79.
(3) Ennead., III, lib. VII (Didot, p. 170, lin. 7-9). — Cf. Philo. Judæ., de Immutab. Dei, p. 201. — Petavium, de Deo, lib. III, cap. IV.

bus sæculisque, addi, nihil unquam auferri; idcircoque ne ullam quidem esse rem, quæ Deo sit seu in præteritis, seu in futuris habenda. Itaque non miror Platonicas de æternitate Dei disciplinas fuisse a clarissimis Christianæ religionis defensoribus susceptas : « Nullius egens illa, inquit S. Gregorius Nyssenus, et æterna et omnia quæ sunt complexa natura, neque in loco est, neque in tempore. Sed ante hæc et super hæc, inexplicabili quadam ratione, ipsa in se sola fide conspicitur, neque sæculis circumscripta, neque cum temporibus decurrens; sed in seipsa consistens, et in seipsa fundata et stabilita; neque cum præterito, neque cum futuro consideratur.... Illi autem sublimi et beatæ virtuti, cui omnia secundum præsens, semper adsunt, etiam id quod futurum est, ob infinitam illam comprehendendi vim, inesse consideratur (1). » — « Æternitas, inquit S. Gregorius Nazianzenus, nec tempus, nec temporis pars ulla est, nec enim in mensuram cadit (2). » — « Deus et *erat* semper et *est*, et *erit*, vel ut rectius loquar, semper *Est*. Nam *erat*, et *erit*, nostri temporis fluxæque naturæ segmenta sunt. Ille autem semper *Est*, atque hoc modo seipsum nominat, quum in monte Moysi oraculum edit (3). »

Quam multa et pulchra e S. Augustini libris essent hic proferenda! Juvat saltem divinum illum memorare sermonem cum matre Monica habitum, quæ jam in eo erat ut diem supremum subiret : « Colloquebamur, inquit, soli valde dulciter..... Ascendebamus interius cogitando, et loquendo, et mirando opera tua, et venimus in mentes nostras, et transcendimus eas, ut attingeremus regionem ubertatis indeficientis..... ubi vita sapientia est, per quam fiunt omnia ista, et quæ fuerunt et quæ futura sunt; et ipsa non fit, sed sic est ut fuit, et sic erit semper; quin potius fuisse, et futurum esse non est in ea, sed esse solum,

(1) Gregor. Nyssen., lib. I, adv. Eunom., p. 98.
(2) Gregor. Nazianz., Orat. 38, n. 8.
(3) Ibid., n. 7. Cf. Orat. 45, n. 3.

quoniam æterna est. Nam fuisse et futurum esse, non est æternum (1). »

Et in libro XI Confessionum : « Præcedis omnia præterita celsitudine semper præsentis æternitatis, et superas omnia futura ; quia illa futura sunt, et quum venerint, præterita erunt ; tu autem idem ipse es et anni tui non deficiunt (2). Anni tui nec eunt, nec veniunt : isti autem nostri et eunt, et veniunt, ut omnes veniant. Anni tui omnes simul stant, quoniam stant ; nec euntes a venientibus excluduntur, quia non transeunt : isti autem nostri omnes erunt, quum omnes non erunt. Anni tui dies unus, et dies tuus non quotidie, sed hodie ; quia hodiernus tuus non cedit crastino ; neque enim succedit hesterno. Hodiernus tuus æternitas (3). »

At nemo non videt quam facile, ea divinæ cognitionis notione admissa, omnis de præscientia quæstio solvatur. Quod si enim voluntates nostras Deus non *prævidet,* sed *videt* tantum, quis jam contendat nos, in conspectu Dei, agitantes mente quæ nobis placent, ideo cogi necessitate ? Salva et incolumis manet hominum, quos intuemur, libertas, etsi, nobis eos contemplantibus, agunt : quare, cernente eos Deo, libertatem suam amitterent ?

Non defuere, fateor, qui negarent ullam, in hac a Boetio proposita explicatione, vim inesse. Sed quo, quæso, jure ? Quid contra ipsi afferunt, auctoritatem habens et pondus ? Ego vero

(1) Confession., IX, cap. X, 24.
(2) Psalm. CI, 28.
(3) Confession., XI, cap. XIII, 16. — Cf. August., Confession., XI, cap. VII, XI, XIII; Civit. Dei, XI, 10. — De Genes., ad Litter., V, 15, 18. — De Trinitate, XV, 7; in Psalm. II; in Psalm. 89; in 83 quæst., 17, 19; in Joan. tract., 99; Sermo 24, de diversis. — Ambros., lib. I, de Fide, cap. 7; lib. II, Hexam., cap. 5. — Petavium, de Deo Deique propriet., lib. III, cap. IV; lib. IV, cap. IV.

Boetium, ea difficultatis absolvendæ ratione utentem, dignum censeo qui probetur philosophis, atque omni laude extollatur. Arduam enim, quam tractandam suscipiebat, quæstionem aggressus, non solum, qua procedendum erat via, procedit rectissime, sed quæstionem ipsam incredibili ingenii acumine aperit, imo, quantum absolvi poterat, absolvit. Jam Dei scientiam gravissimi philosophi fuerant summo studio scrutati; jam quid imbecillitati humanæ liceat ex hujus divinæ scientiæ natura perspicere, detexerant. Ulterius progreditur Boetius : quomodo Deus cognoscat omnia, a veteribus accipiebat; explanationem autem divinæ præsagitionis e doctrina, quam de ipsa Dei scientia tradebant veteres, pendere, primus intellexit sicque ostendit, ut asserere ausim nihil fuisse unquam, ne Præscientia libertatem videretur tollere, accuratius excogitatum, nihil clarius, nihil felicius. Utinam illud diligenter perpendissent mente, qui tot tamque obscura, tam intricata, tam tenuia de hac quæstione finxerunt! Inexhaustas et, credo equidem, prorsus inutiles difficultates vitassent; neque in istud summum incidissent periculum, e quo plerique vix evaserunt incolumes, ut vel nimium extollerent Dei præscientiam, vel, susceptis libertatis humanæ partibus, Deum ipsum violarent!

CONCLUSIO.

Nemini quæ de Consolatione Philosophiæ explanavimus legenti, dubium erit quin opus suum Boetius eo consilio conscripserit, ut tria a nobis exposita dijudicataque disquireret : utrum Providentiæ adversentur miseriæ hominum, utrum improborum prosperitatibus Providentia destruatur, utrum humanæ libertati Providentia sit contraria. Non desunt tamen alia, ad philosophiam quoque spectantia, quæ ex his Boetii libris colligi possunt : quorum etiam nonnulla sumus, in capite opusculum nostrum claudente, examinaturi. At cæteris nunc prætermissis, ut ea modo quæ circa Providentiam versantur commemoremus, profitendum est plerasque quæstiones sæpius a philosophis de Providentia pertractatas, leviter attingi in Consolatione nostra.

Existere Providentiam, primum est philosophis demonstrationem de Providentia instituentibus ostendendum. Boetius autem non fingit esse dubium quin a Deo rebus provideatur; quare argumenta, quæ philosophi solent ad Dei providentiam confirmandam congerere, frustra in Consolatione hac quærerentur. Unum tamen ex his argumentis indicatur a Boetio, et illud quidem clarissimum, ex admiratione rerum cœlestium atque terrestrium ductum. Ab operis initio colligitur, ubi cœlum, sidera, vicissitudines dierum et noctium, commutationesque temporum quadripartitas,

fatetur Boetius non posse non regi a Numine supremo (1). Desumendum etiam erat ex aliis tum primi, tum quarti libri locis (2); sed apertissime in ultimo tertii libri capite significatur, quod caput incipiendo, Boetius exponit propter quam causam certior factus sit mundo divina Providentia consuli : « Mundus hic, inquit, ex tam diversis contrariisque partibus in unam formam minime convenisset, nisi unus esset qui tam diversa conjungeret; conjuncta vero naturarum ipsa diversitas, invicem discors, dissociaret atque divelleret, nisi unus esset qui, quod nexuit, contineret. Non tam vero certus naturæ ordo procederet, nec tam dispositos motus, locis, temporibus, efficientia, spatiis, qualitatibus explicaret, nisi unus esset qui mutationum varietates manens ipse disponeret (3). »

Postquam orbi terrarum atque hominibus a Deo provideri posuerunt extra controversiam, philosophi nullas res, ne levissimas quidem a Providentia negligi stabiliunt. At ipse Boetius sollicitudinem qua mundum hominumque genus Providentia complectitur, tum soluta oratione, tum carminibus extollit; nosque vult persuasissimum habere hanc divinam sollicitudinem nullis comprimi terminis, nullis finibus coarctari. Declarat suprema Dei gubernatione cœlum et sidera comprehendi, omnes omnium terrarum partes, omnia et singula quæ in mundo ortum habent, florent, vigent, occidunt. Quin etiam quasi parum esset significare mundum universum administrari a Deo, nos summa diligentia edocet quidquid agamus, quidquid cupiamus et recogitemus mente, id nunquam Providentiæ oculos, curamve fugere : « Non facta hominum modo, inquit, sed etiam consilia voluntatesque prænoscit (4); » imo non prænoscit tantum, sed propter hanc causam, antequam eveniant, cognoscit, ut ea

(1) Consolat. Philos., lib. I, carm. 5 et 6.
(2) Ibid., lib. IV, carm. 6.
(3) Ibid., lib. III, pros. 12.
(4) Ibib., lib. V, pros. 3.

sapientissime regat, temperet benignissime, denique justissimis præmiis vel pœnis afficiat (1).

Aliud tandem de Providentia aggressi, philosophi quidam examinaverunt utrum omnibus rebus Deus *ipse* consulat, an maluerit mundi gubernationem nescio quibus regni sui *ministris* committere. Paucissima de hac minoris momenti quæstione Boetius profert, quæ qui legerit, perspiciet facile a Boetio, quamvis philosophos contrariam opinionem defendentes fuerit impugnare veritus (2), saniorem judicari doctrinam docentium cuncta per Deum solum administrari : « Ad mundum regendum, inquit, nullis extrinsecus adminiculis (Deus) indigebit; alioquin si quo egeat, plenam sufficientiam non habebit. — Id, inquam, ita est necessarium. — Per se igitur solum cuncta disponit (3). »

Sed hæc omnia ad Providentiam pertinentia, quæ in Consolatione Philosophiæ indicantur, Boetius seu ea habet pro concessis jam et constitutis, seu vult, iis neglectis, finem quo tendit, recta via assequi, perstringit summa brevitate, atque uno aspectu et quasi præteriens judicat. Hos enim quinque libros (quod e rebus supra expositis evidentissime colligitur), eo consilio composuerat non ut omnia, quæ de Providentia examinantur sæpius, ipse tractaret, sed tantum ut ea confutaret, quibus homines ad Providentiam revocandam in dubium plerumque adducuntur. Vir enim ille, summo ingenii acumine, recte intellexit, ut opinor, plerosque homines minime dubios esse quin rebus humanis consulatur a Deo; sed propterea querimoniis suis Providentiam impugnare quod multa videant agi in terris, quibus justitiam Dei et benignitatem tolli existimant. Neque fugit Boetium quid feramus molestissime, quid,

(1) Cf. Consolat. Philos., lib. III, pros. 12; lib. IV, carm. 6, pros. 6; lib. V, pros. 4.

(2) Cf. Ibid., lib. IV, pros. 6.

(3) Ibid., lib. III, pros. 12.

ut Providentiam incusemus, nos vehementius impellat. Nonne solemus miserias in nos irruentes gravissime sustinere et acerbissime lamentari? Nonne tum maxime movemur et perturbamur, quum probos quidem piosque viros calamitatibus oppressos, improbos autem et nefarios perpetua felicitate cumulatos cernimus? Non miror igitur cur Boetius, Providentiam positurus in tuto, satis esse crediderit exquirere quomodo confirmaret nec miseriis, quibus premimur, nec rebus quæ adverse probis, prospere improbis eveniunt, destrui Providentiam : illud, inquam, Boetius eo majore studio expendere debuit quod, quum horrendis et prorsus immeritis casibus urgeretur, ipse acerrimum quo increparetur Deus argumentum videbatur afferre.

Tertiam in Consolatione sua quæstionem tractat Boetius : liberam enim hominum voluntatem non esse Providentiæ contrariam ostendere enititur. Id profecto minus ad miserias hominum spectat , aut ad improborum prosperitates ; minorem etiam viro intolerabilia patienti consolationem præbet : non fuit tamen a Boetio neglectum qui, scrutatus cur sæpius homines, de Providentia recogitantes, fluctuentur animo, compertum habuit nos non raro perpendere quomodo, quamvis Deus assensiones nostras semper intueatur, libertas nostra incolumis esse possit.

Jam plane intelligimus quapropter Boetius hos e fontibus philosophicis haustos, quibus Providentiam defendere cupiebat, libros de *Consolatione Philosophiæ* inscripserit. In summam hanc et immodicam calamitatem inciderat, qua qui opprimuntur debent, ne omnem spem abjiciant, recordari, quod vix mente tristi nimium et conturbata infixum hæret, se a benignissimo parente regi, atque ad cœlum tutissime perduci. Itaque quum, amissis fortunis, amissis honoribus dignitatibusque, in eo esset Boetius ut subiret crudelissima, atque ad extremum supplicium traheretur, quæsivit anxius quid leniret luctum suum, et speravit, disciplinis quas de Providentia tradit philosophia collectis, reperiri posse unde solatium miserrimæ sorti adhiberetur.

Hæc autem a Boetio instituta disputatio, quid valet ad Providentiam confirmandam, ad consolandum homines acerbe vitam agentes? Habetne tantam auctoritatem quantam habeat necesse est, ut nihil jam nobis afferat dubitationem quin Deus æquissimis legibus mundum hominesque temperet; ut, quemcumque casum fortuna vel nobis, vel aliis intulerit, prohibeamur ne despondeamus animum atque in Deum invehamur?

Libros quidem Boetii summa cura perlegimus. Rationes acutissimo ingenio astrictas expendimus, quibus monstrat neque miserias nostras esse intolerabiles, neque in iis fortunæ commodis, quæ nimia cupiditate solemus expetere, inesse supremam hanc, in quam tendimus, felicitatem. Doctissima etiam, quam de improborum prosperitatibus proponit, demonstratione explanata, disquisivimus locos illos tum soluta oratione, tum numeris amplificatos; quibus attente consideratis, nemo audebit negare bonos quidem in virtute sua magnificam mercedem reperire, improbos autem vitiis ipsis, quibus indulgent, durissime plecti. Delectamur profecto pulchritudine carminum, sententiarum gravitate tangimur, rerum copia et pondere permovemur. Sed postquam Boetium laudibus meritis extulimus, non possumus dissimulare hanc Consolationem Philosophiæ nobis videri neque satis firmam ad omnem de Providentia dubitationem tollendam; neque eam, qua homines, maximo luctu eos conficiente, acerbissimis doloribus facientibus impetum, recrearentur prorsus ac reficerentur.

Boetius enim, sicut supra indicavimus, totam suam et de miseriis generis humani et de improborum prosperitatibus disputationem instituendo, noluit de vita nos corpore exutos manente facere mentionem.

At tantum abest ut Boetio inutile esse vitam futuram in memoriam revocare arbitranti assentiar, ut contra omnes rationes, vel præstantissimas quas accumulat, existimem propterea quod doctrina de vita futura non fulciantur, auctoritate, quæ sola poterat rem absolvere, destitui.

Ergo magnum arduumque, quod aggressus erat, opus non omnino perfecit; idque eo magis miror quod meliora erant ex ipsa philosophia desumenda. Optimi enim philosophi, et ii quidem quos summo cultu verebatur, eum clarissime docebant minime intelligi posse quare mortalis hæc vita ita se habeat, nisi memores simus alteram nos manere vitam, in qua Deus jura in terris violata contemptaque vindicanda suscipiet. Socratem ab iniquis judicibus damnatum, quum pene in manu jam mortiferum illud teneret poculum, una consolatio sustentabat, quod fiebat certior se esse immortalem. Christianos S. Paulus, quos fortissimis verbis ad virtutem hortatur, jubet recordari semper breves quidem et leves esse hujus vitæ labores et casus, sed immensam esse et æternam mercedem qua Deus justos viros olim remuneraturus est (1). Quæ Socrates quasi per caliginem viderat, quæ S. Paulus clariora luce efficit, ea me animo deficientem erigunt, afflictum excitant, oppressum tristitia solantur; ea mihi a Boetio, quum doloribus nostris succurrere vult mederique, præberi velim!

(1) 2, Cor., IV, 7.

APPENDIX.

UTRUM BOETIUS FUERIT CHRISTIANUS.

Boetium inter illustrissimos, quibus Christiana religio gloriatur, viros multi recensent. Eos vehementissime movet quod ex omnibus antiquis philosophis, ne unus quidem repertus est qui gravissimas, quæ ad Deum et hominem spectant, quæstiones aggressus, verum tanta judicii constantia verborumque evidentia profiteretur. Mente enim recogitant quam turpes in errores præstantissimi veterum lapsi sint : quorum alii Deum ipsum in dubium vocarunt ; alii negarunt animos esse immortales, alii hominem finxere post obitum corporis in ferarum corpora verti ; idcirco non mirari non possunt pulcherrima semper à Boetio tum de Deo proponi, quem confirmat æternum esse et optimum, omni sapientia perfectum ac potestate ; tum de homine ipso cujus cœlestem ortum memorat, supremumque quo debet tendere, finem detegit.

Præterea, ex multorum sæculorum memoria, Boetii nomen Christiani doctores magnis laudibus extulerunt ; quin etiam Boetii sepulchrum, a Luitprando Longobardorum rege, religiose erectum Ticinenses sunt singulàri reverentia prosecuti, et quasi sacro cultû venerati.

Non pauci tamen arbitrantur Boetium fuisse a Christiana fide remotum. Jubent non plus æquo curari utrum doctrina, quam in ejus libris laudavimus, philosophorum veterum disciplinas superet necne. Sciunt enim Boetium eo tempore duxisse vitam quo jam Christi religio summa incrementa obtinuerat ; quum igitur non potuerit fieri ut Boetius rerum Christianarum magnifice splendentium esset omnino rudis, ac divinam lucem, qua Christus illuminarat mentes, non aspiceret, hanc causam cur tam multa doceat sane prorsus et optime excogitata afferunt, quod ea non e philosophicis tantum, sed e Christianis etiam, velit, nolit, fontibus hauriat.

Sæculorum vero auctoritati et antiquæ famæ qua Boetius accipitur fuisse Christianorum decus, imo Christi martyr, affirmant minorem faciendam esse fidem. Annorum enim seriem repetunt, atque e quo fonte orta sit opinio, quæ Boetium fuisse Christianum fingit, examinant : eruditissima tandem disquisitione habita, ponunt pro certissimo Boetium fuisse neque a viris qui eodem tempore vitam agebant, neque ab illis, qui proximis sæculis floruerunt, relatum in Christianorum numerum.

Est igitur inter doctos summa de Boetio controversia. Nobis vero, prætermissis omnino documentis quæ, ut quæstio absolvatur, possunt ex auctoritate hominum desumi, visum est non inutile esse, ipsis Boetii doctrinis, quas longo labore explanavimus, rursus introspectis, examinare num e diversis Consolationis Philosophiæ locis colligi liceat Boetium fuisse Christianum.

Illud primum animadvertendum esse censemus, nullam de Christianis rebus mentionem in Consolatione nostra inveniri. Quam opportuna tamen divinas sententias in memoriam revocandi ceciderat occasio ! Neminem profecto fugit philosophos, quum quæstiones tractant, quas ratio humana propriis suis viribus expendere valet, posse omni jure totam demonstrationem suam non e Sacris Litteris, sed e philosophicis tantum argumentis excerpere. At quorsum hæc spectant ? Compertum habemus, dummodo quæ Boetius protulerit non simus obliti,

multos reperiri in ejus libris locos, quos quidem non dico ut exornarentur, sed ut fulcirentur multum atque auctoritate qua carent confirmarentur, debebat sanctorum Codicum verbis augere. De his etiam taceamus. Sed quis ante oculos proponendo quibus calamitatibus, quum opus suum conscriberet, Boetius premeretur, non miretur vehementissime virum illum e sana de Providentia doctrina solatium, quo incredibilem suum dolorem levaret, capere cupientem, minime fuisse memorem quid Christiano præbeant tum Christi, tum Sanctorum qui Christi vestigia secuti sunt, dicta, facta, exempla ! Nonnullos ex hominibus recenset quos, quamvis ab omni scelere immunes, iniqui judices vel impii tyranni ad mortem crudelissimam damnarunt ; at ne unum quidem verbum de justissimo, qui unquam fuit, viro, de Christo profert ! Sed « Anáxagoræ fugam, Socratis venenum, Zenonis tormenta » memorat (1) ; « Canios, Senecas, Soranos » subjungit (2) ; imo, quasi non satis esset philosophos illos revocare, de Crœso rege, de Perseo (3), Reguloque (4) meminit.

Cur autem Crœsum, Senecam et alios moleste fero ? Hæc etiam quæ de diis atque heroibus antiqui vates finxerunt, in Consolatione nostra haud semel laudantur : « Adolescentulus, inquit, δύο τοὺς πίθους, τὸν μὲν ἕνα κακῶν, τὸν δὲ ἕτερον καλῶν, in Jovis limine didicerat (5). » Debebat, credo equidem, quum paucissimos vitæ dies reliquos haberet, sublimoria meditari. — Quid mea refert utrum « Busiridem accipiamus necare hospites solitum, ab Hercule hospite fuisse mactatum (6) ? » — Quo fir-

(1) Consolat. Philos., lib. I, pros. 3.

(2) Ibid., lib. I, pros. 3.

(3) Ibid., lib. II, pros. 2.

(4) Ibid., lib. II, pros. 6.

(5) Ibid., lib. II, pros. 2.

(6) Ibid., lib. II, pros. 6.

mius probet Boetius neminem esse qui Deo possit obsistere, « Gigantes cœlum lacessantes » testatur, quos, « uti condignum fuit, benigna fortitudo deposuit (1). » Præclara sane et exquisita argumentandi ratio ! Denique, ne longius protrahamus sermonem, postquam tertio suo libro finem imponendo infelicis Orphei amissam Eurydicen deflentis casum questus est (2), quartum librum duobus carminibus amplificat, quorum in uno narrat quid apud perfidam Circen Ulyssei sociis misere acciderit (3) : in altero Agamemnona extollit, Ithacum regem atque Herculem, eo quidem consilio ut nos virorum illorum fortitudine et constantia doceat qua virtute necesse sit ad cœlum tendamus (4). Ego vero (liceat libere dicere quid de his omnibus sentiam), vix intelligere possum quomodo tot et tam multa ficte excogitata a Christiano viro proferantur, qui non solum eo tempore vitam agebat, quo poetarum de diis fabulas Christiani omni odio detestabantur, sed etiam, quod multo majus est (si quæ narrantur de Boetii sanctitate credenda sunt, credantur omnino), in eo erat ut, quia promissam Christo fidem violare noluerat, asperam mortem pateretur.

Ergo fictorum quidem numinum, plurima, Christianarum autem rerum nulla in Consolatione Philosophiæ vestigia apparent. Ea gravissimi momenti res minime fugit quos Boetius habuit ingenii sui præ cæteris laudatores. Viri enim illi, quum Boetium, quem colunt veneratione singulari, conantur confirmare dignum esse qui inter præstantissimos Christianos insignem locum obtineat, rationes, ut demonstrationem suam meliorem faciant, malunt non e Consolatione nostra, sed ex aliis libris de fide Catholica tractantibus desumere, quos putant fuisse a Boetio

(1) Consolat. Philos., lib. III, pros. 12.

(2) Ibid., lib. III, carm. 12.

(3) Ibid., lib. IV, carm. 3.

(4) Ibid., lib. IV, carm. 7.

conscriptos (1). Libros profecto, de quibus loquor, legentibus nullus est dubitandi locus quin fuerint a Christiano compositi, imo a Christiano rebus ad veram religionem spectantibus maxime erudito. Non solum enim nulla in iis libris inveniuntur Catholicæ doctrinæ minus consentanea, sed etiam reconditæ prorsus de Christo, de Trino Deo, quæstiones examinantur.

At in Consolatione Philosophiæ nihil reperitur ejusmodi. Tantum enim abest ut doctrinas a Christo traditas, atque veteribus philosophis inauditas Consolatio nostra defendat (quanquam, quod modo indicavimus, felicissima sanctissimas disciplinas proponendi opportunitas ceciderat), ut contra multas opiniones tueatur, quæ quomodo cum Catholica doctrina congruant, vel nullo pacto, vel difficillime potest ostendi. Illud jam expendamus.

I. Affirmant primum recentiores quidam Boetium in hanc pravissimam opinionem esse lapsum, qua non pauci veteres, præsertim ex Alexandrinis philosophis, ducti, posuerunt hominem divinæ naturæ esse participem, atque ab ipso Deo minime distingui. Istud autem, quod evidentissime in Boetii libris contineri existimant, habeo equidem non dico pro incerto tantum et controverso, sed pro vano admodum, falsoque.

(1) Isti autem libri sic inscribuntur :

1° Quomodo Trinitas unus Deus ac non tres Dii;

2° Utrum Pater et Filius ac Spiritus Sanctus de divinitate substantialiter prædicentur ;

3° Brevis fidei Christianæ complexio;

4° De Persona et duabus naturis, contra Eutychen et Nestorium.

Inutile esse duximus, quum quid Boetius de Providentia senserit examinavimus, facere de operibus istis mentionem : neque, jam utrum fuerit Christianus disquirentes, aliquid ex his fontibus volumus haurire. Quos enim commemoramus libellos Boetio nullo jure esse tribuendos, fuit a recentioribus firmissime, mea quidem sententia, monstratum.

Boetium ut impugnent, hac, præ cæteris, sententia nituntur, quam ex iis, quibus ostendit Deum esse summum bonum, vir doctissimus colligit, atque, ut ejus verbis utar, veluti *corollarium* præbet : « Quoniam beatitudinis adeptione fiunt homines beati, beatitudo vero est ipsa divinitas, divinitatis adeptione fieri beatos, manifestum est.... Omnis igitur beatus, Deus (1). » Quod quidem non eo tantum Consolationis loco declaratur, sed bis etiam terque tum a Boetio ipso proponitur, quum acceptas a Philosophia disciplinas confert in pauca (2) ; tum a Philosophia rursus, quæ jubet Boetium « corollarii illius, quod paulo ante præcipuum dedit, » esse memorem (3) : « Neminem beatum fore, inquit Boetius, nisi qui pariter Deus esset, quasi munusculum dabas (4). » — « Qui beati sunt, inquit Philosophia, deos esse convenit. Est igitur præmium bonorum, quod nullus deterat dies, nullius minuat potestas, nullius fuscet improbitas, deos fieri (5). »

His autem omnibus, quibus docti, quos refellere volo, litem dirimi clamant, contendo nihil significari, dummodo recte intelligantur, nisi rem vero consentaneam et Sacris Litteris minime adversariam.

Ipsa enim *corollarii,* quod citavimus, verba cum aliis verbis conjunguntur, quibus perspicuum est hic declarari hominem non ad divinam naturam obtinendam esse natum, sed eo consilio fuisse a Conditore suo factum ut, præclarissimis virtutibus observatis, suam propriam naturam perficeret in dies, ac tandem proxime Deo accederet, cui quodam modo fieret similis.

Nam hanc, quam ponit, conclusionem : « Omnis igitur bea-

(1) Consolat. Philos., lib. III, pros. 10.
(2) Ibid., lib. III, pros. 12.
(3) Ibid., lib. IV, pros. 3.
(4) Ibid., lib. III, pros. 12.
(5) Ibid., lib. IV, pros. 3.

tus, Deus; » ea statim sequuntur : « Sed natura quidem unus, participatione vero nihil prohibet esse quam plurimos (1). »

At Boetius, quum homines non *natura,* sed *participatione* tantum deos fieri asserit, clare indicat multum abesse ut homines Deo pares omnino sint, et nihil altius profert quam quod Sacris Scripturis edocemur, affirmantibus nos maximis donis fuisse a Deo cumulatos, ut per hæc efficeremur « divinæ consortes naturæ (2). »

Cæterum magis aperiendi causa quo sensu intelligat homines fieri deos, hanc comparationem usurpat : « Sed uti justitiæ adeptione justi, sapientiæ sapientes fiunt, ita divinitatem adeptos, deos fieri simili ratione necesse est (3). »

Quis autem fingat justos et sapientes ipsam justitiæ et sapientiæ naturam consequi ? Ergo quum qua ratione justitiam justi obtinent, ea ratione existimet Boetius nos adipisci divinitatem, cur verba, quibus usus est, plus æquo stricte accipiamus ?

Quod si volumus diversos Consolationis locos colligere, in quibus explicatur cujus generis sit hæc mira, de qua Boetius sæpe loquitur, hominis cum Deo similitudo, nullus dubitandi locus erit quin Boetius doceat tantum homines mente et ingenio divinæ mentis quasi umbram præ se ferre, atque eo totis viribus tendere, ut, sua natura ad summum perducta, sublimiorem Dei imaginem præbeant. Hominem adhuc in terris vitam agentem, quem a felicitate et natura Dei longe remotum lamentatur, jam vocat *divinum merito rationis animal* (4), *Deo consimilem* (5), *Deo proximum* (6). Sed ista negligamus. In tertio quarti libri capite demonstrat quam horrenda pœna plectantur qui vitiis

(1) Consolat. Philos., lib. III, pros. 10.
(2) II Petr., I, 4.
(3) Consolat. Philos., lib. III, pros. 10.
(4) Ibid., lib. II, pros. 5.
(5) Ibid., lib. I, pros. 4.
(6) Ibid., lib. IV, pros. 6.

voluptatibusque indulgent; atque hanc improborum pœnam magnificæ mercedi opponit, qua probi explentur : « Nam quum bonum malumque, item pœnæ atque præmium, adversa fronte dissideant, quæ in boni præmio videmus accidere, eadem necesse est in mali pœna contraria parte respondeant (1). » Quid clarius dici potest? Igitur quum affirmet Boetius quemadmodum merces proborum in adeptione divinitatis reponitur, ita pœnam improborum in naturæ humanæ amissione esse sitam; si quadam tantum dicendi figura hanc naturæ humanæ amissionem accidere significat, sequitur evidenter divinitatem non attribui probis nisi quadam quoque figura dicendi. Quæ autem sit ista naturæ humanæ amissio, ex his, quæ a Boetio adduntur, colligimus certissime : « Avaritia fervet alienarum opum violentus ereptor? Lupi *similem* dixeris. Ferox atque inquies linguam litigiis exercet? Cani *comparabis*.... Ita fit ut, qui, probitate deserta, homo esse desierit, quum in divinam conditionem transire non possit, vertatur in belluam (2). »

Sed hæc hactenus. Credidit Boetius neque malos vere converti in feras, neque bonos ipsa Dei natura frui. Ergo cavendum est, ne severiore judicio quædam ejus verba expendamus, atque eum summa reprehensione increpemus, quasi doceret deplorandam hominis cum Deo confusionem.

II. Attamen qui doctrinam in Consolatione Philosophiæ traditam Christianæ doctrinæ contrariam esse judicant, assumunt hoc modo : Boetius ista ab Alexandrinis philosophis (3) de *Uno* excogitata ipse sibi suscipit : quare non dubii esse possumus quin gravissimo errori Alexandrinorum faveat, qui nihil esse nisi Deum, Deum esse omnia docebant.

Paucissima de eo loco mihi facienda sunt.

(1) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 3.
(2) Ibid., lib. IV, pros. 3 (fin).
(3) Cf. Plotin., Ennead., V, lib. I, 9. — Proclum., Instit. theol., I, ssq; XXI, ssq.; CXIV.

Fatetur Boetius se fuisse Eleaticis disciplinis imbutum (1); at nemo nescit a Xenophane Eleaticorum parente affirmari « ἓν τὸ ὂν καὶ πᾶν, unum esse omnia (2). » Imo Boetius de *Uno* plura disserit, quæ facilius, credo equidem, quisque impugnaret quam defenderet. In tertio enim libro, probaturus diversis fortunæ bonis, divitiis, opibus, fama, voluptatibus, mendacem tantum veræ felicitatis speciem præberi, in hoc argumentatur quod, quum bonum perfectum sit *unum simplexque natura,* divitiæ, opes, aliaque ejusmodi, quæ boni modo sunt partes, nunquam bonum perfectum nobis tribuere possint. Argumenta autem a Boetio hic instituta mihi videntur vel falsa omnino, vel saltem plena obscuritatis. Quis hæc intelligat? « Quum discrepant, minime bona sunt; quum vero unum esse cœperint, bona fiunt; nonne hæc ut bona sint, unitatis fieri adeptione contingit? » — « Omne quod bonum est, boni participatione bonum esse concedis, an minime? Ita est. — Oportet igitur idem esse unum atque bonum simili ratione concedas (3). »

Præterea, quod profecto legentem multum impedit, verbum istud, quo utitur, *unum,* sæpe ambiguum est; quemadmodum videre est in eo loco, ubi, postquam posuit « subsistere unumquodque dum unum est, quum vero unum esse desierit, interire; » concludit hoc modo: « omnia igitur *unum* desiderant (4). » Illud primo conspectu facile concederem; sed statim subjungit: « *unum* id ipsum monstravimus esse quod bonum est.... cuncta igitur bonum petunt. Quod quidem ita describas licet, ipsum bonum esse, quod desideratur ab omnibus.... si quid est ad quod universa festinent, id erit omnium *summum* bonorum (5). » Nonne ultimis his vocibus videtur de *summo bono* loqui? Non nego equidem *omnia unum desiderare,* dummodo

(1) Consolat. Philos., lib. I, pros. 1.
(2) Academ., II, 37; cf. Academ., II, 30, 42; Ennead., V, lib. I, 9.
(3) Consolat. Philos., lib. III, pros. 12.
(4) Ibid., lib. III, pros. 12 (fin).
(5) Ibid., lib. III, pros. 12 (fin).

significetur tantum omnia eo tendere, ut, ne separentur partes, quibus constituuntur, prohibeant. Sequi autem omnia eo ipso *summum bonum* appetere, repugnat prorsus.

Ista etiam quæ haud semel profert, quid valeant? « Omne namque quod sit, unum esse; ipsumque unum, bonum esse (1) ». A nonnullis judicantur esse plus æquo similia famosæ Xenophanis sententiæ : « Unum esse omnia, ἓν τὸ ὂν καὶ πᾶν. » Jure tamen affirmari potest quædam hujusmodi fuisse ab ipsis SS. Patribus pronuntiata : « Omnia, inquit S. Augustinus, quid aliud quam unum esse conantur? » — « Nihil est autem esse, quam unum esse (2). » S. Basilius Cæsariensis hanc rationem, qua probetur Spiritum Sanctum esse Deum, affert : « Neque unus est de multis, sed unus est (3). » Cæterum libentissime profiteor quæ a Boetio de *Uno* dicta sunt, ea esse nec clara satis, nec recto judicio semper probanda. At propterea quia tenebris obducuntur, contendere ausim non posse demonstrari evidenter Boetium in pravas, quas Eleatici et Alexandrini tuiti sunt, opiniones esse lapsum. Quum autem tot et tam pulchris verbis Deum cum homine non confundi confirmaverit, leges sanæ argumentationis violaret qui, consideratis tantum locis maxime abstrusis, quos in Consolatione hac invenimus, locos multo plures et luce clariores negligeret.

III. Utrum Boetius æternum esse mundum crediderit, nunc breviter disquirendum.

Convenit inter doctos, ex veteribus philosophis, quos quomodo mundus fuerit factus divinæ Litteræ non docuerant, ne unum quidem exstitisse qui, remoto omni dubio, remotis omnibus verborum ambagibus, lucide affirmaret mundum ex nihilo fuisse, Deo jubente, ortum : « Prodiderunt multa Græcorum

(1) Consolat. Philos., lib. IV, pros. 3.

(2) S. Augustin., de Ordin., II, 18 ; de Moribus Manichæorum, II, 8.

(3) Basil. Cæsar., de Spirit. Sancto, XVIII, 45.

sapientes de natura, inquit S. Basilius Magnus; sed ne una quidem opinio, posteriore priorem semper antiquante, fixa inter ipsos atque inconcussa permansit (1). »

Boetius arduam hanc, quæ a solis Christianis fuit recte soluta, quæstionem attingit, et, locutus de supremo mundi effectore, verbis tam pulchris, atque in quibus tanta vis inest utitur ut, nisi verba ista penitus scrutatus fueris, vix poteris non eum in numero sanæ doctrinæ patronorum ducere. Deum enim vocat *auctorem Deum; terrarum cœlique satorem; rerum omnium patrem; principium unde cuncta processerint* (2). » Qua autem ratione mundus factus fuerit significaturus, voces etiam profert, quibus nihil melius esse videtur. Ea videlicet *condere* et *creare* non solum in carminibus usurpat, in quibus conficiendis poeta verba sæpius assumit quæ modis magis congruunt; sed in soluta etiam oratione, ubi nihil impedit quominus quisque verba tantum seligat, quæ judicat maxime apta ad sententiam suam aperiendam (3).

At quam auctoritatem ista continent? Rem profecto, de qua controversia oritur, minime perficiunt. Taceam enim de his egregiis sane vocibus, « *mundi auctor, sator, pater, principium;* » quas nemo nescit ab antiquis Græciæ philosophis fuisse usurpatas. Ea vero ipsa *condere* et *creare* non ostendunt satis sanam de natura mundi doctrinam defendi a Boetio; imo nos quasi invitant ad existimandum sanam hanc doctrinam ab eo ignorari. Etenim *condere* et *creare,* teste S. Augustino, nihil significant, nisi res jam existentes redigere in ordinem; contra, vox *facere* valet ad affirmandum res educi de nihilo. Hunc locum Isaiæ prophetæ « Ego facio bona et creo mala » S. Augustinus

(1) S. Basil. Cæsar., in Hexaem., homil. 1, 2; cf. H. Klee, Manuel de l'Hist. des Dogm. Chrét., tom. I, chap. III, 2.

(2) Cf. Consolat. Philos., lib. III, carm. 6, et 9; pros. 9 et 10.

(3) Cf. ibid., lib. I, carm. 5; lib. IV, carm. 6; lib. II, pros. 5; lib. III, pros. II; lib. V, pros. 6.

evolvit : « *Creare,* inquit, dicitur *condere* et *ordinare*. Itaque in plerisque exemplaribus sic scriptum est : Ego *facio* bona, et *condo* mala. *Facere* enim est, quod omnino non erat. *Condere* autem, ordinare quod utcumque jam erat, ut melius magisque sit. Ea namque *condit* Deus, id est, *ordinat* (1). »

Quinto Consolationis libro ineunte, celeberrimum illud Xenophanis, vel potius Anaximandri « ex nihilo nihil fit » Boetius laudat. Opinionem, fateor, veterum prætermittit qui verbis illis negabant « eam materiam rerum unde orta sunt omnia, esse divina Providentia effectam, sed habere et habuisse vim suam ; » ita ut isti divinæ Providentiæ *materiam præsto esse oportuerit, non quam ipsa faceret, sed quam haberet paratam* (2). Ipse autem Boetius iis verbis « ex nihilo nihil » confirmare vult tantum non posse fieri ut aliquid sine causis oriatur : « Nihil ex nihilo existere, inquit, vera sententia est; cui nemo unquam veterum refragatus est : quanquam id illi non de operante principio, sed de materiali subjecto, hoc est, de natura omnium rationum, quasi quoddam jecerint fundamentum. At si nullis ex causis aliquid oriatur, id de nihilo ortum esse videbitur (3). » At ex ea ratione sententiam Xenophanis interpretandi, quid inferendum, nisi Boetium ne suspicione quidem hic assequi quod verbis « de nihilo creari » Christiani significaverunt ?

Fingitne igitur materiam esse æternam ?

Sæpe docet Boetius mundum, ideoque materiam qua mundus constituitur, *dispositam* fuisse a Deo ; nunquam affirmat clare hanc materiam ipsam fuisse *e nihilo eductam*.

Eo enim loco, quem supra retulimus, ubi rationem præbet cur pro certissimo habeat universo terrarum orbi a supremo Numine consuli, asserit mundum tam diversis partibus compositum, tot mutationibus obnoxium, non posse stare, « nisi unus

(1) De Moribus Manich., lib II, 9 ; Isai. XLV, 7.
(2) Cicer. citat. a Lactant. Instit. Divin. II, 9.
(3) Consolat. Philos., lib. V, pros. 1.

esset qui tam diversa conjungeret...., qui quod nexuit contineret...., qui mutationum varietates manens ipse disponeret (1). » Opportuna profecto occasio ceciderat illud, quod multo majus est, ponendi primum : *nisi unus fuisset, cujus imperio et nutu mundus e nihilo oreretur*.

Quare mihi recogitanti quam summis laudibus Platonicas de natura mundi doctrinas Boetius extollat, quam alto silentio prætereat Christianas, valde timendum est ne Boetius à Christianis partibus remotus sit.

IV. Reliquum est ut expendamus utrum mentes hominum Boetius crediderit vita ante fruitas esse quam cum corporibus consociarentur.

Sententiam olim a Platone aliisque antiquis philosophis susceptam, qua ponebatur animum antequam corpus intrasset, in rerum cognitione viguisse (2), imo non fuisse ex altissimo domicilio depressum et quasi demersum in terram, nisi, ob aliqua scelera admissa in vita superiore, pœnarum luendarum causa; hanc sententiam, cui nonnulli etiam ex veteribus Patribus favere visi sunt, Ecclesia Catholica pro falsa habet, ac, ne Christianis probaretur, solemni judicio prohibuit (3). Longe ante Boetium, quo tempore S. Augustinus florebat, jam Ecclesiæ de ea quæstione doctrina tam perspicua erat apertaque, ut Priscillianistas propter hanc causam sanctus doctor inter hæreticos recenseret, quod pugnacissime tenerent animas priore vita viguisse (4).

Asseverare ausim Boetium in hac parte omnino inclinare ad Platonem; ideoque a Catholicis disciplinis multum aberrare.

(1) Consolat. Philos., lib. III, pros. 12.

(2) Cicer., 12 Epist. ad Atticum, 45; cf. Phædrum, 28-30.

(3) Epist. Leonis I ad Turibium Asturic. Episc.; Concil., Brachar., I, cap. 6; Hieronym., Epist. 38, ad Pammach.; Gregor. Nyssen., Opif. Homin., cap. 28.

(4) Augustin., Hæres., LXX.

Mentes hominum recordari in terris quid olim in cœlis contemplarentur, Boetius, ni fallor prorsus, affirmat tum in tertio, tum in quinto Consolationis suæ libro. Hos quidem locos multi contendunt justa reprehensione carere, et Boetium omni culpa liberandi gratia, existimant nihil a doctissimo viro proponi, nisi opinionem philosophorum qui, quum credant omnes rerum notiones in nobis insitas esse, idcirco inferunt nos de re aliqua recogitantes primum, ita affici ut rei illius meminisse videamur (1). Hujusmodi interpretatio mihi fortasse molestiam non exhiberet, si ea tantum in Consolatione legerem :

« Hæret profecto semen introrsum veri,
Quod excitatur, ventilante doctrina ;
Nam cur rogati sponte recta censetis,
Ni mersus alto viveret fomes corde (2) ? »

Sed ista etiam in eodem carmine lego :

« Non omne namque mente depulit lumen,
Obliviosam corpus invehens molem. »

Nonne jam de vita superiore, in qua mens lumen supremum intuebatur, fit mentio non subobscura ?

Hæc autem, quæ inveniuntur in quinto libro, consideremus :

» An quum mentem cerneret altam
Pariter summam et singula norat ?
Nunc membrorum condita nube,
Non in totum est oblita sui,
Summamque tenet, singula perdens.
Igitur quisquis vera requirit
Neutro est habitu : nam neque novit,
Nec penitus tamen omnia nescit ;

(1) Cf. Callyum, in Consolat. Philos. (Migne, col. 777, not. 15).
(2) Consolat. Philos., lib. III, carm. 11 ; cf. lib. IV, carm. 1

Sed quam retinens meminit, summam
Consulit, alte visa retractans,
Ut servatis queat oblitas
Addere partes (1). »

Quid ista significant, nisi mentes nostras, antequam includerentur in corporibus, fuisse Deum ipsum contemplatas? Volunt quidam iis Boetii versibus primos generis humani parentes, Adamum Evamque designari; qui, quum in horto amœnissimo habitarent, e quo, ob peccatum, quod mox admiserunt, expulsi sunt miserabiliter, scientia pleni erant scientiam nostram longe superante (2). Sed istud, quam inane, quam vanum! Ubi, quæso, Adamum deprehendunt, Evamve? Cæterum hoc etiam concesso, quod nequeo concedere, cur subjungitur hic versus :

« Nunc membrorum condita nube? »

Num fuit tempus, quo generis humani parentes caruerunt corpore, et membrorum nube, ut Boetius dixit, non fuerunt obtecti? At hanc difficultatem viri, de quibus loquor, minime curant. Boetius, inquiunt, nihil docere vult, nisi homines quo turpioribus flagitiis fœdantur, eo deteriorem naturam suam facere, eo longius a sanctitate, qua ornati olim fuerant, amoveri. Hoc igitur modo non solum versus supra relatos interpretantur, sed ea etiam, quæ in secundo ejusdem libri capite reperimus :

« Humanas vero animas liberiores quidem esse necesse est, quum se in mentis divinæ speculatione conservant; minus vero, quum dilabuntur ad corpora; minusque etiam quum terrenis artubus colligantur. Extrema vero est servitus, quum vitio deditæ, rationis propriæ possessione ceciderunt (3). »

(1) Consolat. Philos., lib. V, carm. 3.
(2) Cf. Callyum, loco citato.
(3) Consolat. Philos., lib. V, pros. 2.

Ab istis, ut opinor, non multum discrepat Virgilianum illud :

« Igneus est ollis vigor et cœlestis origo
Seminibus; quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra ;
Hinc metuunt cupiuntque; dolent gaudentque, nec auras
Respiciunt, clausæ tenebris et carcere cæco (1). »

Sed quomodo ex hujusmodi sententiis colligunt tantum mores hominum quibusdam quasi gradibus deminui; et ruere in pejus? Quo jure omnia ab ingenita verborum significatione detorquent? Quo jure rectam rerum intelligentiam subvertunt?

Philosophiæ Platonicam, quam impugnamus, opinionem memoranti :

« Quod si Platonis musa personat verum,
Quod quisque discit, immemor recordatur (2); »

sic respondet Boetius : « Platoni, inquam, vehementer assentior. » Quid clarius desideremus? Callyus tamen, doctus sane vir, prohibere enititur ne Boetius urgeatur confessione sua : « Non approbat quidem, inquit, sententiam Platonis in hoc quod docuerit mentes humanas conditas fuisse antequam hæ conjunctæ fuerint cum corporibus, sed in hoc quod putaverit cognitionem philosophicam ab innata oriri (3). » E quibus, quæso, Boetii vocibus Callyus infert non probari Boetio mentes humanas prius fuisse factas quam cum corporibus conjungerentur? Illud quidem, fateor, non erat Boetio probandum; probatum tamen fuit. Ne audeamus ergo, ob eam causam quod Boetium quasi Christianorum decus et lumen omni reverentia prosequamur necesse sit, verborum significationem adulterare, vitiare sententias, totam rerum seriem corrumpere; sed concludamus Boetium fuisse Catholicis doctrinis alienum.

(1) Eneid., lib. VI, 730, sq.
(2) Consolat. Philos., lib. III, carm. 11.
(3) Callyum, loco citato.

Itaque dubium esse nequit quin crediderit Boetius mentes humanas vita fuisse functas antequam consociarentur cum corporibus : quod quidem quanto odio omnes vere Christiani jam detestarentur, nemo ignorat.

Præterea tum abstrusa hæc, quæ de *Uno* proponit, tum quæ, explicandi causa quomodo mundus fuerit factus, excogitat, ea profecto nimium præ se ferunt Platonicorum Eleaticorumve opiniones, quas Christiani reprehendunt maxime.

Denique quum, ut doctrinas suas augeret, sæpissime daretur locus res Christianas amplificandi, res illas alto silentio prætegrit; quin etiam non pauca ex fabulis poetarum desumpta extollit laudibus.

Quid igitur nos impellat ad Boetium inter Christianos annumerandum? Num movemur quod haud semel suscipit pulcherrima? At pulchra hæc, quæ miramur in Boetii scriptis, fuerunt vel a Platone, vel a M. Tullio, vel a Seneca aliisque philosophis defensa. — Num antiquæ famæ Boetium fuisse Christianum tradenti adversari veremur? Sed fama ista mediocrem prorsus auctoritatem habet; quippe quæ nec ab ultima antiquitate repetatur, nec libris fulciatur nisi minorem fidem facientibus.

Nequaquam igitur inter Christi discipulos Boetium recensemus; quem profitemur fuisse singulari ingenio virum, mira eruditione præstantem, atque optimis veterum disciplinis imbutum. Omnes enim philosophiæ parentes ac magistros audit libenter; atque ex eorum libris colligit quæ judicat meliora. Non pauca edocetur a Peripateticis; multa a Stoicis; pleraque autem (ipse fatetur se fuisse «Eleaticis atque Academicis studiis innutritum) (1) » a Platone transfert, quem semper summo, interdum nimio, honore prosequitur.

(1) Consolat. Philos., lib. I, pros. 1.

Ex opinionibus in Consolatione Philosophiæ defensis, quæ nobis nullo pacto probantur, quædam, fateor, ostendunt tantum Boetium catholicæ doctrinæ esse alienum. Non arbitramur tamen operæ pretium esse disquirere utrum Boetius partes sequeretur Christianas quidem, sed hæreticas. Qui enim affirmant Boetium fuisse Christianum, non suspicantur fieri posse ut de catholica Boetii fide dubium oriatur. Cæterum argumentatione, quam instituimus, evidenter apparet Boetium non reprehendi quod aliquot Christianæ doctrinæ capita, reliquis capitibus recte susceptis, læserit, sed quod ne uno quidem loco proprias Christianorum disciplinas tueatur.


Vidi ac perlegi:
Redonibus, die duodecima mensis Julii, ann. MDCCCLXV.
Facultatis Litterarum in Academia Redonensi decanus,
H. MARTIN.


Typis mandetur:
Redonensis Academiæ Rector,
A. MAGIN.


INDEX MATERIARUM.

13487. — Nannetibus, Excudebat Charpentier.








Lb 5.240
Quae de providentia Boetius in Cons
Widener Library 006000939
3 2044 085 185 825